



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Disputatio II. Ad quænam præmia reviviscant merita mortificata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

divinæ Providentiæ, & pietati, hominumque fragilitati consentaneum, neque est ulla authoritas, aut difficilis ratio, quæ obliet, ut vidimus.

DISPUTATIO II.

Ad quænam præmia reviviscant merita mortificata?

SECTIO I.

Utrum merita mortificata reviviscant ad præmium essenziale: an solum ad accidentale?



ACTENUS diximus, merita per peccatum mortificata iterum per subsequentem gratiam reviviscere: superest nunc explicare, quâ perfectione hoc fiat, id est, ad quod, & quantum præmium reviviscant? Supponendum in primis quæstionem posse procedere de præmio essentielle, nempe de gratia, & gloria, quæ promittitur meritis, diciturque præmium essenziale; aut de præmio accidentali, nempe de gaudio, & delectatione, quæ subsequuntur iustos in patria de eo, quod opera bona in honorem Dei fecissent, diciturque præmium accidentale. Secundò, utrum omnia merita mortificata redeant ad integrum præmium essenziale eis antecedenter debitum, antequam per peccatum mortificarentur? Tertio, utrum hoc præmium statim conferatur post reparacionem gratiæ; sicque homo semper resurgat à peccato cum majori gratia? Quarto, utrum restituatur etiam gratia, quæ sine meritis fuerat acquisita? De his omnibus per sequentes Sectiones, quæ sentiamus, dicemus. Sit igitur:

2. Difficultas 1. Utrum merita mortificata reviviscant ad præmium essenziale; an solum ad accidentale? Sensus est: utrum iustus per opera vivificata mereatur majus augmentum gratiæ, & gloriæ, quam mereretur, si nulla haberet merita antecedentia peccatum commissum, & condonatum: an solum mereatur majus augmentum gaudii, & delectationis? Prima sententia affirmat, merita mortificata reviviscere ad solum præmium accidentale. Hanc nullus sub his terminis docet, ut dicunt P. Soar. d. 2. de Reviviscant. meritor. sect. 1. num. 1. P. Amicus tom. 8. d. 8. n. 26. licet ei videatur sayere D. Thom. 3. p. q. 89. art. 5. ad 3. & in 3. dist. 31. q. 1. art. 4. q. 3. ad 4. quatenus docet, merita præterita plenariè tantum reviviscere ad præmium accidentale, licet non neget D. Thom. ea reviviscere ad præmium essenziale, sed tantum non reviviscere plenariè, sicut ad accidentale, ut explicat Capreol. in 4. dist. 14. q. 2. art. 3. ad 1. Scoti.

3. Hæc tamen sententia dicitur improbabilis, & temeraria à P. Soar. & P. Amico cit. Primò, nam qui negat, merita reviviscere ad præmium essenziale, tacitè negat reviviscant meritorum simpliciter; siquidem meritum, ut meritum formaliter, est per ordinem ad præmium essenziale; ha-

bet enim rationem meriti, quatenus à præmiè ordinatur ad aliquid, quod merens non habere ex sola natura operis; hoc autem est solum præmium essenziale; nam gaudium accidentale non est ali-quod bonum, quod operans non habet ex ipsa natura operis boni, quod eo ipso, quo fit, gaudium parit operanti; ergo negat meritum simpliciter reviviscere, qui affirmat, illud ad solum præmium accidentale reviviscere; sed affirmare, merita simpliciter non reviviscere est improbabile, & temerarium, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Secundò, quia tale gaudium, seu præmium accidentale sublequitur etiam ad opera bona facta in statu peccati; & tamen hæc nullo pacto reviviscunt; ergo idem posset asseri de meritis antecedentibus peccatum, & in gratia acquisitis; id autem asserere est improbabile & temerarium; ergo &c.

Secunda sententia docet, merita reviviscere quidem ad præmium essenziale, non tamen quod sit majus in ratione rei, sed tantum in ratione præmii; sicque distinguunt in præmio, nempe in gloria, formalitatem præmii, & formalitatem rei, live perfectionis Beati, & docent, gloriam posse crescere ut præmium; licet non crescat ut est perfectio Beati. Hæc tribuitur Henrig. quodlib. 5. q. 24. Almain. in 4. dist. 22. Capreol. in 4. d. 14. q. 2. Palud. ibid. q. 7. art. 1. Caiet. 3. p. q. 89. art. 2. & expressè tenet BanneX. 2. 2. q. 24. art. 6. dub. 6. conclus. 3. & esse conclusionem Thomistarum dicit Ledesin. in 4. 1. p. q. 30. art. 2. ad finem.

Fundantur, quia præmium, ut præmium, solum consistit in eo, quod sit signum, & testimonium meritorum illius, cui datur; ergo eò est majus, quò datur in signum, & testimonium plurimorum meritorum, licet in ratione rei, quæ datur, sit minus; sed Visio Beata, si detur Beato in signum, & testimonium plurimorum meritorum, erit major in ratione præmii, quatenus Beatus videt se honorari à Deo in præmium suorum meritorum; licet non sit major in ratione rei, cum prout sic possit esse equalis, aut minor, quàm est gloria alterius Beati non habentis tot merita; ergo merita reviviscunt ad majorem gloriam in ratione præmii, non autem in ratione rei.

Confirmatur exemplo, quia gladius datus militi à Rege est majus præmium in ratione præmii, licet non in ratione rei, si militi detur in signum plurimorum operum illustrium in bello gestorum, quàm esset magna civitas data Duci in signum, & testimonium unius tantum operis, licet civitas in ratione rei donatæ sit major, quàm gladius; siquidem honor, juxta doctrinam Aristotelis, consistit in publico testimonio honorantis de virtute honorati, quod quidem est proprium præmium virtutis; ergo cum Visio Beata sic possit à Deo tribui in signum, & testimonium plurimorum operum, poterit esse major in ratione præmii, ad quod reviviscunt merita, licet non ita sit in ratione rei, neque ad illam ut majorem in ratione rei reviviscant merita.

Resp. argumentum solum probare de præmio extrinseco, & imperfecto; non autè de perfectio, & intrinseco. Et ratio diversa est, quia primò fuit inventum ab hominibus, qui cum nò habeant, quo possint facta egregia compensare, ea remunerant externis illis signis, & testimoniiis honoris, quæ inter homines magnè estimantur; at verò secundum tribuitur à Deo, & est proprium præmium virtutis, consistitque in Beatitudine, ad quam, tanquam ad finem ultimum, ordinantur omnes actiones hominis meritorie, quas omnes potest Deus ad æquali-

æqualitatem compensare majori, ac majori gloriâ in ratione rei, & non honore illo extrinseco, ad quem solum non ordinantur merita.

8. Additur distinctionem illam in ratione præmii, & in ratione rei, non habere locum in Visione Beata; nam eo ipso, quod unus Beatus habet majorem gloriam in ratione præmii, etiam illam habet majorem in ratione rei; siquidem ipsa gloria, quæ datur à Deo propter merita in ratione rei, datur etiam in eorum præmium, ac in ratione præmii; ergo si comparemus gradus gloriæ unius Beati cum gradibus gloriæ alterius Beati, illius erit major gloria, & in ratione rei, & in ratione præmii, cujus merita fuerint majora. Et ex dictis patet quid respondendum sit confirmationem, ut consideranti patebit.

9. Hanc sententiam dicit Sor. Ledesm. & cum illis P. Soar. cit. num. 13. esse falsissimam, & menti D. Thomæ adversissimam, multaque in Theologia admittere absurda, & sententiis Patrum, & Conciliorum, & Scripturæ, imò & suavitati, ac dispositioni Divinæ Providentiæ parum consentanea, ut ex dicendis constabit. Rejicienda igitur omninò est cum communi Theologorum. Primò, quia, illa positâ, tollitur reviviscencia meritorum quoad substantiam, & solum conceditur quoad titulum; hoc autem non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

10. Probatur Major, quæ sola indiget probatione, quia merita reviviscere, est acceptari ad præmium, ad quod à Deo fuerunt semel, & semper ordinata; hoc autem debet esse aliquid intrinsecum merenti, id est, in illo existens, & quod ipse verè possideat, quale est præmium tantum essentialia, sive Beatitude, ad quam per se sunt ordinata à Deo nostra merita, ut est definitum à Trid. sess. 6. cap. 16. quatenus definit, vitam æternam esse in præmium promissam nostris bonis operibus; ergo si ad tale præmium non acceptantur, non reviviscunt; siquidem acceptari ad novum titulum, non est acceptari ad aliquid intrinsecum merenti, sed tantum ad honorem extrinsecum, nempe ad majorem cognitionem, & notitiam, quam Deus haberet de virtute, & meritis hujus Beati præ alio, in quo esset æqualis Beatitude cum paucioribus meritis, qui quidem honor est quid extrinsecum honorato, & solum existens in honorante; ergo si merita non reviviscunt ad præmium essentialia, simpliciter, & quoad substantiam non reviviscunt.

11. Dicent, notitiam, & æstimationem, quam Deus habet de Beato ob plura ejus merita, esse quidem ipsi Beato extrinsecam formaliter, cum non existat in illo, sed in Deo: esse tamen intrinsecam objectivè, quatenus Deus per Visionem Beatam manifestat ipsi Beato meliorem æstimationem, quam de illo præ aliis habet; quæ quidem major æstimatione complet objectivè præmium essentialia ipsius Beati; videre enim in Deo, se laudari, & magis æstimari à Deo, quàm alii, est quædam Beatitude.

12. Sed contra, quia indè non sequitur, futuram majorem Beatitude, & majus præmium essentialia, quod Deus nostris meritis promittit. Patet, quia Beatitude, cum consistat formaliter, saltem inadæquatè, in Visione Dei, ut alibi diximus, & suo loco dicemus, major, & melior Beatitude consistit in majori, & meliori Visione ipsius Dei; sed illa notitia, quam Beatus haberet de majori æstimatione, quam Deus de illo habet, non illum redderet magis Beatum; siquidem talis notitia nihil adderet supra Deum, nisi objectum creatum, nempe merita, & personam ipsius Beati, cujus illa sunt, ut

actu laudatam à Deo, quæ non efficiunt Beatum; ergo ex hac cognitione non poterit homo esse beator illo, qui non videt illam laudationem, & æstimationem in Deo; alioqui magis Beatus essentialiter esset ille, qui plures creaturas videt in Deo, aut illas, quæ aliquo titulo ad illum spectant, quàm qui eas non videt, quod alibi negavimus.

13. Secundò rejicitur, quia aut merita, quæ per subsequentem gratiam reviviscunt, sunt digna majori præmio essentiali intrinseco; aut non: Si primum; ergo illo remunerantur; alioqui Deus remunerabit citra condignum, contra id, quod supra diximus tr. 2. Si secundum; ergo non laudantur à Deo specialiter; siquidem laus ex D. Thom. 1. 2. q. 2. art. 2. est signum, & testimonium excellentiæ, quæ propter virtutem debetur laudato, & tunc exhibetur, quando laudans non habet præmium æquale, quo merita compenset; sed hoc non habet locum in Deo, qui potest majus, & majus præmium tribuere, quot majora fuerint merita; ergo hoc potius intrinsecum, quàm illam extrinsecam laudem exhibebit.

14. Confirmatur, quia laus, quam Deus tribuit, cum sit fecunda, non possumus admittere, Deum laudare hominem Beatum, quin illum reddat intrinsecè perfectum: sicut non potest amare, quin amato addat intrinsecam perfectionem cujus ratione ametur; hæc enim est intrinseca vis, & propria perfectio amoris divini efficacis, qualis est ille, quo amat Beatos, ut non possit ad illos, ut ad objectum amabile terminari, nisi ipsum objectum intrinsecè perficiendo, hoc est, reddendo illud suo amore dignum; ergo etiam non poterit laudare, quin laudatum reddat intrinsecè perfectum; sed ita perficitur per amorem, & Visionem Beatam, sive præmium essentialia; ergo &c.

15. Tertiò rejicitur, quia aut Beatus videt se recipere Beatitude ob plura ejus merita per aliquam cognitionem non beatificam: aut per ipsammet Visionem Beatam: Non primum, quia illa cognitio, cum non sit beatifica, non sufficit, neque potest augere præmium essentialia sibi debitum, & promissum propter merita, & in ipsa Visione Beata formaliter consistit, saltem inadæquatè. Si secundum, opus est, ut illa Visio, cæteris paribus, sit perfectior, etiam in ratione Visionis, & Beatitude; siquidem, cæteris paribus, qui plura videt in Deo, meliorem Visionem Dei habet, utpotè qui perfectius penetrat Essentiam Divinam, quæ est objectum primarium Beatitude; ergo si Beatus, qui habet plura merita, illa videt in Deo, illumque perfectius videt, ut largitorem premii propter illa, si cætera sint paria, perfectius videt Deum, quàm si solum videret pauciora merita, & se propter illa remuneratum; ergo jam illa visio, non solum est perfectius præmium, quia est major laus, sed etiam quia est major, & melior Visio Dei.

16. Quartò rejicitur, quia vera justitia nostra, sive gratia, cujus ratione meremur de condigno apud Deum Beatitude, non consistit in aliquo favore Dei extrinseco, sed in intrinseca perfectione, quam Deus nobis communicat; ergo neque nostra Beatitude, quæ nobis à Deo confertur propter talem justitiam, potest consistere in externa laude proveniente ab ipso Deo, sed in aliqua perfectione nobis intrinseca, qua Deo conjungimur; consequenterque major Beatitude erit, quæ nos magis Deo conjungit per ipsius claram Visionem.

17. Quintò rejicitur ex absurdo, quia sequeretur, perfectiorem Beatitude consecuturum, qui toto vitæ spatio innumerabilia peccata commisit, & in fine vitæ elicuit contritionem ut octo, quàm

qui in tota vita plurima, & egregia exercuit virtutum opera, quæ semel commisso peccato mortali interrupt, & ad finem vitæ per contritionem ut duo resurrexit; sed hoc est contra perfectionem Justitiæ Divinæ distributiæ reddituræ unicuique secundum opera sua, & omnia, ut patet ex parabola illa talentorum, de qua egit Christus Dominus Matt. 25. ergo &c.

18. Sexto, rejicitur ex alio absurdo, quia sequeretur, omne præmium debitum justis, propter ipsorum merita, posse salvari per hunc honorem Dei extrinsecum, & meliorem ejus æstimationem, quam Deus de ipsorum meritis habet, sine aliquo alio augmento gratiæ, & gloriæ; siquidem possent omnes recipere intrinsecam beatitudinem commensuratum soli gratiæ sacramentali; inæquale verò eorum præmium essentiale correspondens propriis meritis, possent recipere per inæqualem honorem, & æstimationem, quam Deus de ipsorum meritis conciperet; sed hoc est contra Trident. sess. 6. can. 32. ubi definit, justum suis bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, ut supra diximus tract. 2. d. 3. n. 4. ergo &c.

19. Septimo rejicitur à priori, quia merita peccato interrupta, & postea per penitentiam vivificata, habent omnes condiciones requisitas, ut acceptentur ad præmium essentiale; siquidem antea erant acceptata ad præmium essentiale intrinsecum; sed sublato peccato, manent in acceptatione divina, ut antea; ergo post eorum reviviscientiam habent omnes condiciones requisitas ad idem præmium; peccatum enim superveniens non minuit, sed tantum impedit intrinsecum valorem meriti, & ejus jus ad gloriam; sublato autem impedimento, sive peccato per subsequentem penitentiam, redit idem meritorum valor, & jus, quod erat antea, ut supra diximus.

SECTIO II.

Proponitur sententia à nobis tenenda.



20. **T**ERTIA Sententia, quam sequimur, tenet, merita per subsequens peccatum mortificata, & iterum per penitentiam, & subsequentem gratiam vivificata, reviviscere ad majus præmium essentiale, ita ut justus per illa acquirat majus augmentum gratiæ, & gloriæ, quam haberet propter solam penitentiam, & merita post illam habita, si solum cum his è vita decessisset. Ita *Alfiodor. lib. 4. tract. 6. cap. 6. quest. 1. Richard. in 4. dist. 14. art. 8. quest. 2. Soar. dist. 22. art. 2. Aureol. art. 1. Mayron. q. 2. Bassol. dist. 14. quest. 3. art. 3. Major. dist. 22. quest. unica, Marsil. quest. 11. art. 1. Conclus. 2. Gabr. dist. 14. quest. 3. art. 3. Palat. dist. 14. d. 6. Sot. dist. 16. quest. 2. art. 2. P. Soar. opuscul. d. 2. sect. 1. num. 49. P. Vasq. 3. part. quest. 89. art. 5. Sylvius ibid. P. Henricq. lib. 4. de Sacram. cap. 34. quos citat & sequitur P. Amicus tomo 8. d. 8. sect. 2. num. 40. P. Lugo d. 11. de Penit. sect. 2. n. 43. P. Soar. Lusit. tract. 1. de Penit. d. 4. num. 416. P. Tanner. tomo 4. d. 6. quest. 5. dub. 2. num. 33. P. Arriagatomo 8. d. 16. num. 2. & sequent. & alii apud cit.*

21. Probatur primò iisdem rationibus, quibus hætenus rejecimus duas præcedentes sententias. Secundò, quia merita mortificata dum per penitentiam vivificantur, redeunt ad pristinum suum statum ratione acceptationis divinæ, quam antea habebant,

ejus ratione censetur apud Deum viva, & digna præmio, ad quod antea, cum fuerant acceptata, ordinabantur; sed antea ordinabantur ad præmium essentiale, nempe ad aliquem gradum gloriæ, & Beatitude essentialis; ergo post eorum reviviscientiam, ad tale præmium ordinantur; consequenterque faciunt ad augmentum præmii essentialis hominis justii merentis, eique majus præmium dabitur, quam daretur ob solam penitentiam, & omnia merita eam subsequentia, si merita præcedentia jam vivificata, & conjuncta cum meritis subsequentiis, faciunt majorem cumulum meritorum; sed ex majori numero meritorum, cæteris paribus, augetur intensivè præmium, ut patet ex supra dictis tract. 2. d. 3. ergo ratione meritorum, quæ vivificantur, datur majus præmium essentiale, quam daretur, si illa per subsequentem gratiam non vivificarentur.

Hanc probationem ut evitent, plures solutiones quarunt Adversarii, ut videre est apud Doctores citatos, præsertim *P. Soar. à num. 16.* dicunt enim (& est præcipua eorum solutio) ad substantialem, & intensivam perfectionem præmii essentialis esse impertinentem multitudinem actuum bonorum; siquidem unus ex illis, qui fuerit intensior, est tota ratio illius perfectionis, sive intensiois præmii essentialis ei correspondentis: Si verò fuerint plures æquales, sive æquè intensi, erunt quasi plures causæ totales ejusdem effectus, sive præmii, quarum multiplicatio est per accidens, & impertinens ad talem effectum; imò eam valde abhorret natura ut superfluum: si autem sint plures actus minus intensi, erunt etiam veluti plures causæ totales ejusdem præmii secundum minorem gradum ipsis proportionatum. Unde juxta hanc solutionem in ratione præmii reddendi non consideratur per se, sed tantum per accidens multitudo operum quantum ad substantiam, & intensivam perfectionem præmii.

Hæc tamen solutio quam falsa sit satis constat ex dictis *tr. 2. d. 3. sect. 1. & sequent.* & iterum rejicitur: Primò, quia talis doctrina est contra communem sensum sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum, ut videre est loco proxime citato, asserentium, præmium essentiale vitæ æternæ, sive Beatitude non esse conferendam per respectum ad unum tantum actum intensiorem, sed juxta multitudinem illorum, etiam remissiorum, cum etiam ibi servetur ratio meritorum. Hinc est, Concil. Florent. in *litter. Unionis.* asserere, Sanctos perfectè purgatos intueri clarè ipsum Deum, Trinum, & Unum sicuti est: meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: non dixit tantum intensione, sed diversitate, ex quo clarè colligitur, habendam esse rationem diversorum meritorum in collatione præmii, sive Beatitude essentialis.

24. Secundò, quia ad perfectionem Providentiæ Divinæ spectat, non solum provocare homines ad bene operandum, sed etiam illos sic provocatos, & bene operantes incitare ad præmia, eaque illis conferre; atqui Deus ex sua providentiâ perfectissima non solum provocat homines ad unum actum intensivum, & perfectum, sed etiam ad multitudinem actuum, etiam remissiorum, & imperfectiorum; ergo ad eandem Providentiâ, & perfectam Dei gubernationem spectat promittere, & conferre præmium, illudque majus essentialiter, illi, qui plures actus æquè perfectos exercuit, quam si solum unum exercuisset; cum non detur major ratio, cur

cur ei promittatur, & conferatur primum propter unum, & non propter alium actum æque perfectum.

25. Tertiò, quia gratia, & gloria, quæ confertur in primum essentialiter meritorum, est capax augmenti; alioqui omnes Beati essent æquales in premio, quod ex hac doctrina videtur sequi, ut consideranti patebit, & nos alibi diximus, & probavimus loco supra citato; ergo, cæteris paribus, majus primum, sive Beatitudo essentialis dabitur exercenti plures actus æque intensos, quàm exercenti unum tantum; alioqui, si ei detur solum æqualis, aliquis eorum actuum manebit sine premio, quod non est dicendum, cum Deus promiserit omnia nostra bona opera remuneraturum absque oblivione, & injustitia, juxta illud D. Paul. ad Heb. 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Et 1. Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Neque obstat multiplicatio causarum, sive actuum, quo argumento utebantur Adversarii; siquidem quando effectus est capax augmenti, ut est primum, de quo loquimur, nullam vim habet argumentum, cum quælibet causa, sive actus habeat suum speciale effectum, sive primum sibi correspondens.

26. Quartò, quia in omni Republicâ humanâ benè ordinatâ proponuntur, & augentur præmia non solum pro magnitudine unius operis, sed etiam, pro numero, & multitudine operum; neque enim Duci plura egregia facinora perficienti satisficit uno premio collato pro omnibus; & singulis totaliter; nam quilibet prudens injustum judicaret hunc modum præmiandi, si quodlibet ex illis facinoribus per se sumptum, erat dignum tali premio; ergo hoc non est admittendum in Republicâ superiori, & cælesti, à qua bonum regimen inferioris, & terrenæ participatum est.

27. Quintò, quia primum meritorum dandum est secundum leges justitiæ, aut commutativæ, aut distributivæ, aut utriusque, prout supra diximus *traçt. 2.* sed ad rationem commutativæ spectat, ut conferat majus primum ei, qui plura exercuit opera, quæ secundum moralem valorem sunt majoris æstimationis, & non tantum idem pro pluribus; hoc enim aut nihil, aut ferè nihil auget præmii æstimationem: & ad distributivam spectat, ut quantum unus superat alium in morali dignitate, & valore meriti, tantum superet in perfectione præmii substantialis; qui autem plures actus exercuit, superat in dignitate morali, & valore meriti eum, qui pauciores exercuit; ergo &c.

28. Sextò, quia judicium finale, cum sit exercendum secundum leges justitiæ, & Christus Dominus vicem Judicis acturus sit, temper dicitur in Scriptura faciendum, non respectum ad unum, aut aliud opus, sed ad omnia opera, quæ unusquisque egit in corpore juxta illud ad Rom. 2. 6. *Qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Et 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* & sæpè alibi; sed ex his certò colligitur, Deum in conferendo premio essentiali, non tantum maximam intensiorem actus, sed etiam operum multitudinem expensurum; ergo &c.

29. Confirmatur, quia non minor, imò major ratio justitiæ propter factam promissionem, intervenit in retributione bonorum, quàm in punitione malorum operum; sed Deus in puniendis peccatis, & augendâ in se, ac substantialiter eorum penam,

non respicit solum intensiorem, aut magnitudinem peccati, sed etiam multitudinem peccatorum juxta illud Apoc. 18. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum;* & sæpè alibi; ergo in premio essentiali retribuendo, non solum respicit Deus ad opus maximè intensum, sed etiam ad operum multitudinem: tum quia Deus prior est ex se ad benefaciendum, quàm ad puniendum: tum etiam, quia Matt. 25. in actu utriusque justitiæ multitudo, & diversitas meritorum, ac demeritorum numeratur, & numeranda dicitur in die judicii.

Dicent primò, non repugnare, quod unum, & idem primum detur pluribus titulis, & ob plura merita; siquidem Trid. *sess. 6. cap. 16.* asserit, gloriam dari justis duplici titulo, nempe tanquam hæreditas filiis, & tanquam merces operariis. Sed contra primò; ergo de illo, qui unum gravissimum peccatum commisit, poterimus dicere, non esse cur graviorem penam timeat, etiam si innumeralia, aut saltem minora multiplicet, quia solum eandem penam pluribus titulis sustinebit, eoquod multiplicatio peccatorum non auget penam; hoc autem dicere absurdissimum est, contra omnem sensum Ecclesiæ, modum loquendi Scripturæ, & contra omnem rationem, & sapientem providentiam; sic enim timor penarum nihil, aut parum continebit peccatores à multiplicatione culparum; ergo &c.

Contra secundò, quia ex hoc datur ansa hæreticis, ut dicant, omnes Beatos esse æquales in premio, & omnes damnatos esse æquales in penâ; siquidem Lutherani dicentes omnes Beatos esse æquales in visione Dei, si illis objiciamus, quod non sint æquales in meritis; ergo neque in visione Dei meritis correspondente: Respondere possunt (licet ipsi aliter errent,) visionem illam dari pluribus, aut paucioribus titulis, & solum in hoc dari inæqualitatem; non autem in ipsa visione.

Contra tertio, quia absque temeritate dici posset, imò magnâ probabilitate conjectari D. Franciscum Xaverium esse æqualem in gloria essentiali D. Petro; aut Religiosum aliquem ordinarium in gratiâ decedentem, esse æqualem in gratiâ, & in gloriâ D. Francisci Xaverio; siquidem licet D. Petrus excedat D. Franciscum Xaverium, & D. Franciscus Xaverius privatum Religiosum in excellentia vitæ, multitudine operum, & gratiarum, in sustentia passionum, & tormentorum; hoc non vetat, quod semel in vita in aliquo raptu aut mentis elevatione D. Franciscus Xaverius habuerit unum actum amoris Dei æque intensum, ac fuit quicumque actus meritorius, quem habuit D. Petrus in hac vitâ, (idemque de quolibet Religioso ordinario respectu D. Francisci Xaverii;) hoc enim sentire non est contra totam sanctitatem, quam Ecclesia de D. Petro, aliisque Apostolis prædicat; neque contra aliquod principium; & per se est valdè possibile; ergo aut Ecclesia non habet firmum fundamentum ad ita sentiendum de excellentia D. Petri supra excellentia D. Francisci Xaverii, quod sentire temerarium est; aut mensura gloriæ essentialis non est desumenda ab uno actu intensiori, sed ex omnibus actibus meritoriis totius vitæ simul sumptis, & secundum omnes eorum perfectiones consideratis. Undè:

Non negamus, posse unum, & idem primum dari pluribus titulis, & ob plura merita, ut asserit Trid. cit. dari gloriâ justis duplici illo titulo hoc

hoc tamen solùm est verum, quando tituli sunt diversæ rationis, quales sunt illi, de quibus loquitur Trid. cit. nam quod gloria debeat justis, ut filiis, spectat ad dignitatem gratiæ, quæ naturâ suâ constituit justum filium Dei, & hæredem gloriæ, cum qua habet sufficientem proportionem: Quod verò eadem gloria debeat, ut corona, & merces ratione meritorum, spectat ad laudem, & commodum hominis benè operantis, & est titulus diversæ rationis; siquidem confert novum jus justitiæ, quod filiatio per se non conferebat: at verò quando tituli sunt ejusdem rationis, qualiter sunt duo merita respectu ejusdem præmii, non est necessarium, imò est superfluum apponere duplex meritum propter idem præmium, quando unum de se erat sufficiens ad totum illud præmium, nisi aliundè daretur specialis aliqua ratio id exigens.

34. Patet exemplo causarum physicarum, quia causa physica, si sint diversæ rationis, possunt producere eundem effectum: non ita verò, si sint ejusdem rationis; siquidem tunc, cum una sufficiat ad producendum totum effectum, jam alia non habet quid producat; sicque nè dicamus, jam actum agere, dicendum est potius ab operatione cessare; ergo idem dicendum erit in causis moralibus, sive actibus meritoriis ejusdem rationis; si enim primus meruit totum præmium, jam secundus non habebit quid mereatur; ac proinde dabitur meritum, cui nullum correspondeat præmium ex parte Dei, quod est contra rationem meriti, & etiam contra rationem Justitiæ Divinæ, cui competit redere unicuique secundum opera sua.

35. Dicent secundò, omnes actiones, & opera Christi Domini fuisse ejusdem rationis, & valoris, utpotè quæ omnia fuerint infiniti valoris; & tamen per omnia, & singula meruisse quicquid meruit; ac proinde pluribus tantum titulis meruisse idem præmium; ergo etiam sic poterit justis dari idem præmium essentialè, nempè eadem Beatitude essentialis ob plura merita; consequenterque ob merita, quæ habuerunt antecedenter ad peccatum, & ob merita, quæ postea per ipsam poenitentiam, & alia bona opera acquisierunt.

36. Respondeo primò, aliquos dubitare, an plures illæ actiones, quas Christus Dominus elicuit, dicenda sint plura, vel unum tantum meritum? Nam P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 4. sect. 4. & d. 40. sect. 3. cum aliis tenet, esse unum tantum meritum, non quod qualibet actio Christi Domini non sufficeret ad promerendum omne præmium, sed quia Deus ita disposuit, nempè, ut Christus Dominus, non unà tantum, sed omnibus suis actionibus nobis mereretur redemptionem, & omnem gratiam, sicque omnes suas actiones ad hunc finem dirigebat; ac proinde saltem ratione finis, dicuntur componere unum tantum meritum. Undè jam non sequitur, plura merita, quæ plura, mereri unum, & idem præmium: cum verò nobis constet, Deum decernere præmium omnibus actionibus meritoriis hominum, non est dicendam, omnes uno tantum præmio compensari.

37. Respondeo secundò negando consequentiam; est enim diversa ratio inter actus infinitos, quales sunt omnes, & singuli actus Christi Domini, & finitos, quales sunt omnes actus hominum justorum; nam cum illorum quilibet sit infinitus, quilibet sufficit ad promerendum omne præmium: undè si multiplicentur, cum præter illud præmium, non detur aliud, quod promereri possint; alioqui jam primus, cum esset infinitus, non mereretur

omne præmium, non possunt diversa, sed unum, & idem præmium, diversis tamen titulis promereri: at verò in hominibus justis, cum eorum actus sint finiti, quilibet potest mereri suum præmium diversum; præsertim quando hoc est augmenti capax, ut supra diximus; sicque non est cur dicamus, dari unum, & idem præmium propter plura merita.

Additur, quod pro hoc stat ratio justitiæ, quæ in remunerandis meritis servari debet; non autem servaretur, si unum, & idem præmium pro multis meritis daretur; siquidem aut nullum ex illis meritis ad æqualitatem compensaretur; nam unum, & idem præmium non potest esse compensatio æqualis plurimorum actuum, quorum quilibet sufficeret ad illud promerendum: aut aliqui eorum manerent irremunerati; nam si unum, & idem præmium daretur propter primum actum, qui ad illud promerendum factus erat, nihil aliud remaneret propter alios conferendum; hoc autem est contra perfectionem Justitiæ Divinæ, red dicitur unicuique secundum opera sua; ergo &c.

SECTIO III.

Utrum merita mortificata reviviscant ad totum præmium essentialè?

DIFFICULTAS I. Utrum merita integrè redeant quoad totum præmium sibi debitum, ita ut supra gratiam dispositionis propriam, ad tantam gratiam, & gloriam perducant hominem, ad quantam perducerent, si nunquam peccato fuissent interrupta? Affirmative. Ita Major. & Almain. in 4. dist. 14. q. 1. Gabr. q. 3. Marsil. q. 11. Ochan. q. 9. Scot. & Albert. dist. 22. q. 1. Richard. art. 8. Henric. quodlib. 5. q. 24. Aureol. in 4. dist. 14. q. 2. Medin. Cude Pœnit. q. 8. P. Soar. d. 2. de Reviviscen. mer. sect. 2. n. 17. P. Vafq. 1. 2. d. 221. cap. 6. & in 3. p. q. 89. art. 5. dub. 3. P. Turrian. de Pœnit. d. 14. dub. 4. P. Esam. in 3. p. q. 89. art. 5. P. Moncaeus opuscul. d. 12. cap. 8. & seqq. P. Marat. tract. de Pœnit. d. 15. Monestim. 1. 2. d. 36. q. 6. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 5. dub. 2. P. Egid. d. 2. de Pœnit. dub. 20. P. Lugo d. 11. de Pœnit. sect. 2. P. Becan. de Sacram. cap. 34. q. 3. P. Ripal. tom. 2. d. 91. sect. 7. n. 51. P. Amicus tom. 8. d. 8. n. 58. Durand. in 3. dist. 32. q. 2. aq. Palat. dist. 14. d. 6. Conclus. 1. & 2. P. Soar. Lust. tract. 1. de Pœnit. d. 4. num. 419. P. Arriaga tom. 3. d. 16. sect. 1. d. num. 2. & alii.

Probatur primò autoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ubi supra d. 1. à n. 6. quia D. Paul. & Sancti Patres ibi citati, sine limitatione docent, merita redire, & pristini laboris fructum, & abundantiam recuperare; sed nulla est ratio limitandi hunc fructum, & abundantiam ad partem tantum recuperandam, ut ex dicendis constabit; ergo &c.

Probatur secundò autoritate Concilii Trid. sess. 6. cap. 16. etiam supra cit. d. 1. à n. 15. quod, ut ibidem, & alibi vidimus, ad promerendam gloriam, eamque re ipsa consequendam, tres tantum conditiones in quolibet opere requirit, nempè, ut sit opus hominis justis, in Deo, sive ex auxilio gratiæ factum, & ut operans in gratia decedat; sed omnes hæ tres conditiones insunt omnibus operibus mortificatis eorum, qui salvantur; ergo omnia omnem gloriam semel promeritam consequuntur.

Dicent. 1.

42. Dicent 1. ad recuperationem totius gloriae antea promerita, praeter illas tres conditiones assignatas à Trid. cit. desiderari etiam quartam, nempe dispositionem praesentem praecedenti premio praecedentium operum proportionatam, cujus conditionis Concilium non meminit. Sed contra, quia etiam posset quispiam ad gloriae promerita consecutionem, praeter easdem conditiones, desiderare quartam, nempe perpetuam gratiae conservationem absque interruptione peccati; sed definitio Concilii non dat locum necessitati hujus conditionis ad consecutionem alicujus partis gloriae antecedenter promerita; ergo neque necessitati dispositionis praesentis ad consecutionem totius gloriae promerita.

43. Dicent 2. ex doctrina Concilii solum colligi redditum integram gloriae in patria conferendam: non autem gratiae retribuendae in via statim post poenitentiam. Sed contra, quia licet doctrina Concilii directe, & immediate solum faveat redditum gloriae in patria conferendam, non verò gratiae statim in via restituendam (de quo infra) indirectè tamen, & mediate etiam confirmat redditum gratiae integram statim in via recuperandam. Patet, quia non potest post poenitentiam redire meritum gloriae, quin etiam redeat meritum gratiae, quae est praevia ad gloriam, & simul cum gloria cadit sub meritum; sed praemium gratiae statim conceditur in via simul cum ipsius merito, ut supra diximus tract. 2. d. 3. à num. 123. ergo ex redditu meritorum gloriae conferendam in patria arguitur redditus meritorum gratiae conferendam in via.

44. Probatur tertio, quia rationes, quibus supra probavimus meritorum reviviscantiam, aut nihil probant; aut probant eorum integrum redditum; sed primum dicere erit temerarium, ut supra diximus; ergo dicendum est secundum. Probatur Major, quia ratio praecipua, quae supra probavimus meritorum reviviscantiam, ut videre est d. 1. à n. 44. est quia peccatum subsequens non potest impedire eorum redditum, nisi in genere causa meritoria poenae, & eo genere post remissionem peccati quoad culpam & poenam aeternam non impediuntur; sed haec ratio aequè probat integrum, ac partialem redditum meritorum; siquidem peccatum remissum quoad culpam, & poenam aeternam, ut non impedit dignitatem meritorum ad partem praemii, ita nec ad totum praemium, cum sit adaequatè remissum, & indignitas totius praemii omnino ablata, ac si nullum peccatum praecessisset; ergo sicut nullo praecedente peccato, nihil gratiae, & gloriae promerita demeretur, ita illo praecedente, & omnino remisso, nihil gratiae, & gloriae antecedenter promerita desinet recuperari.

45. Dicent cum P. Henric. & P. Granad. merita redire integre quoad dignitatem praemii: non ita verò quoad ipsum praemium; siquidem deficit dispositio, cui totum praemium respondeat. Sed contra primum, quia Deus confert praemium juxta dignitatem meritorum; siquidem promittit mercedem juxta dignitatem laboris; ergo si redit tota dignitas ad praemium, etiam redit totum praemium; neque enim ubi est condignitas meritoria praemii, necessaria est alia dispositio ad praemium conferendum.

46. Secundò, quia peccati remissione restauratur integre prior meritorum condignitas, ac si illud non fuisset interpositum, ut ipsi Adversarii fatentur; atqui, si nullum intercessisset peccatum, sufficeret ea meritorum condignitas ad collationem totius praemii; ergo etiam sufficeret, cum sit eadem, intercedente peccato, remisso tamen per subsequentem gratiam. Confirmatur, quia gratis, & temerè ad

retributionem praemii exigitur alia dispositio, quam condignitas meriti, cum neque Sacra Pagina, neque Concilia, neque Sancti Patres aliam exigant, neque ulla ipsorum testimonio necessaria ostendatur; ergo &c.

47. Probatur quartò, quia ad recuperandam totam pristinam gratiam, & gloriam, non exigitur immediate dispositio positiva, sive poenitentia, ut juxta illam conferatur quantitas pristinae gratiae, & gloriae, sed solum dispositio negativa removens impedimentum peccati; siquidem poenitentia non concurrat ad reviviscantiam meritorum, eorumque praemium, tanquam causa per se illorum, sed tantum ut causa prohibens, removensque impedimentum peccati, quod erat in causa, nè merita suum haberent effectum; sed per quaecumque contritionem, vel etiam attritionem cum Sacramento, aufertur integre peccatum; ergo quaecumque sufficit ad recuperandam integre merita, & eorum praemium.

48. Probatur Major, quae sola indiget majori probatione: Primum, quia si Deus absque praevia dispositione positivam gratiam peccatori infunderet, rediret pristinam merita integre quoad praemium eis correspondens; siquidem etiam tunc eis competere conditiones, quas vendicat Trid. cit. ut fortiantur de condigno consecutionem gloriae; & tamen tunc eorum reditus non fieret ex vi dispositionis positivae; supponimus enim, Deum sine illa gratiam peccatori infundere; ergo &c.

49. Secundò, quia aut tota vis positiva, & congruitas dispositionis exhauritur collatione gratiae novae sibi aequaliter respondentis cum dispositione alterius poenitentis nulla habentis merita praecedentia; aut non exhauritur: Si primum; ergo jam merita non redeunt ex aliquo concursu positivo, quem conferat ipsa dispositio, cum ejus vis, & congruitas sit exhausta, ut supponimus; sicque nulla erit ratio, cur limitentur ad hanc potius portionem praemii, quam ad illam, & tota praemii quantitas non restituatur: Si secundum; ergo licet ei reddatur tota portio gratiae, quae aliis daretur, nullis praecedentibus meritis, adhuc illa, cum non sit exhausta, poterit subjectum disponere, non solum ad gratiam pristinam aequalem gratiae dispositionis propriae, sed etiam ad omnem quantitatem gratiae pristinae; sicut enim ei dispositioni, ultra gratiam sibi de novo respondentem, manet vis, & congruitas positiva ad partem, ita etiam poterit superesse ad totam pristinam gratiam recuperandam.

50. Probatur quintò, quia reviviscere proprie dicitur, quod iterum redit ad eandem vitam, quam primum habebat; neque enim dicitur physicè resurgere, qui cum diversam numero animam ad distinctam numero vitam resurgit; sed vita meritorum est gratia; ergo si reviviscunt, (ut diximus reviviscere,) ad eandem moraliter vitam resurgunt, & reviviscunt; alioqui non reviviscerent eadem numero moraliter merita: sicut non esset idem numero homo, qui non resurgeret ad eandem numero vitam substantialem; siquidem ut se habet anima rationalis in physicis; ita se habet gratia in moralibus; sed merita antecedenter ad peccatum vivebant ad totum praemium sibi correspondens; ergo ad idem reviviscunt per subsequentem gratiam, & remisso omnino peccato.

51. Probatur sextò, quia omnes modi, quibus Adversarii intendunt limitare praemii recuperationem, & totam, ac integram meritorum reparationem adimere, liberi, ac voluntarii sunt, & difficultatibus pleni, ut ex alibi dictis constat, & ex infra dicendis constabit; ergo si redeunt, ut ipsi fatentur, ad integrum praemium redeunt.

52. Oppositam sententiam negantem merita adæquate redire, ita ut hominem ad tantam gratiam, & gloriam perducant, ad quantam eum perduxissent, si non fuissent per peccatum interrupta, docent Capreol. in 4. dist. 14. quest. 2. art. 1. Conclus. 2. Durand. in 3. dist. 31. quest. 2. corpor. & ad 2. Paludan. quest. 1. num. 28. D. Bonav. part. 2. art. 2. q. 1. & 2. Alens. part. 4. quest. 12. memb. 4. art. 5. ad 7. & art. 6. Ledesm. 1. part. 4. quest. 30. art. 2. Sor. dist. 16. quest. 2. art. 2. & 5. Alvar. de Auxil. d. 61. P. Valent. 3. part. d. 7. quest. 6. punct. 1. P. Henric. lib. 1. de Penit. cap. 34. P. Granad. tomo 5. cont. 7. tract. 6. d. 3. sect. 2. Scot. in 4. dist. 16. quest. 2. art. 5. Bannez 2. 2. quest. 24. art. 6. dub. 6. Sylvius in 3. part. quest. 89. art. 1. D. Thom. 3. part. quest. 89. art. 5. ad 3. Cajet. ibid. Petr. Sor. lect. 6. de Penit. Victor. in Relect. de Augment. charit. Mayron. quest. 2. Bassol. dist. 14. quest. 3. art. 3. & communiter Thomistæ. Non tamen omnes hi Authores eodem modo hanc sententiam tuerentur, ut videre est apud P. Soar. cit. sect. 2. P. Ripal. cit. à num. 50. P. Amicum cit. à num. 41. & alios. Undè:

53. Prima eorum sententia asserit, merita solum redire quoad gratiam, & gloriam respondentem dispositioni, per quam homo iustificatur, quin ultra illam ratione meritorum præcedentium amplius donetur, ac si ea merita non præcessissent, sed eam, quæ sine meritis præcedentibus daretur, dari duplici titulo, nempe dispositionis præsentis, & meritorum præcedentium, & insuper gloriam accidentalem propter id, quod merita præcedentia elicerit. Ita Bannez, & Sylvius cit. Contra hanc sententiam jam supra egimus à num. 23. & quibus censuris carpatur à Doctoribus etiam Thomistis hæc doctrina Magistri Bannez, vidimus supra tr. 2. d. 3. à n. 24. Adhuc tamen in præsentia,

54. Rejicitur primò, quia si pœnitens meritis, & præmio gratiæ præcedentibus dives, non obtinet alios gradus gratiæ, quam eos, qui correspondent præsentis dispositioni, & quos obtineret, etiam si nulla præcedentia merita, & gratiam habuisset, sequeretur primò, nihil ei prodesse revivisceniam meritorum, utpotè quæ solum esset de titulo, & non de re: Secundò, frustra D. Paul. & SS. Patres provocare fideles ad respiciendum spe revivisceniam meritorum, si nullus eis uberior fructus gratiæ, & gloriæ ex pristinis meritis colligendus non est per subsequenter pœnitentiam; hæc autem non sunt admittenda; ergo neque illud, ex quo sequuntur.

55. Dicent, Pœnitenti conferri eandem gratiæ, & gloriæ portionem duplici titulo, & propter merita præcedentia, & propter præsentem dispositionem. Sed contra primò, quia hoc jam supra impugnatum est à n. 30. Secundò, quia hoc nõ cadit in sensum à D. Paulo, & SS. Patribus intentum: neque est alicujus momenti ad finem, ad quem meritorum revivisceniam proponunt, ut supra diximus. Tertio, quia ineptum est ad meritorum remunerationem præmium illud, quod aliàs seorsim ab eis meritis retribuendū est; sed tale est donum gratiæ pœnitentiæ præsentis correspondens, cui retribuatur seorsim à meritis præcedentibus; ergo aut hæc manent irremunerata, quod est contra perfectionem Justitiæ Divinæ reddentis unicuique secundum opera sua: aut eis correspondet aliud præmium ab illo diversum.

56. Rejicitur secundò, quia aut in instanti iustificationis præter contritionis congruitatem ad gratiam, adest condignitas meritorum præcedentium; aut non: si hoc secundum, ergo neque meritorum condignitas verè reviviscit; neque verè eorum titulo gratia iustificationis confertur; quæ duo sunt

contra ipsam Bannez: Si primò; ergo præter gratiam congruitati pœnitentiæ respondentem, debet etiam adesse ulterior gratia condignitati meritorum præcedentium respondens: tum quia ubi adfunt distincta merita gratiæ, & gloriæ, adfunt etiam distincta præmia ipsius gratiæ, & gloriæ: tum etiam, quia Deus neminem privat præmio gratiæ, & gloriæ, quod de condigno meretur; privaret autem, si ulterior gratia, & gloria præcedentium meritorum non corresponderet, ut patet; ergo &c.

Rejicitur tertio, quia condignitas meritorum præcedentium non potest redire ante, sed post remissionem peccati, per quod erit impedita; atqui post remissionem peccati non potest gratia respondens contritioni titulo meritorum præcedentium conferri; siquidem ante remissionem peccati ea gratia, cum sit remissionis principium, jam supponitur ad remissionem collata; præmium autem non supponitur ad meritum, imò è contrarium; ergo condignitati meritorum redeuntium post peccati remissionem correspondet aliud præmium, sive gratia diversa ab illa, quæ correspondet congruitati contritionis. Vide quæ supra diximus tract. 2. d. 3. à n. 25. ubi latè hanc doctrinam Magistri Bannez, refutavimus.

Secunda sententia tener, hanc reparationem meritorum præcedentium fieri quidem quoad præmium essenziale sibi respondens, sed secundum quandam proportionalitatem contritionis ad merita: ita ut si contritio sit summa, quam pœnitens potest efficere, omnia præcedentia merita restituantur: si verò contritio sit minor maximà, restitutio etiam meritorum non sit integra, sed in ea proportione deficiat, in qua etiam deficit contritio; ac proinde si contritio sit v. g. in dimidia intentione, dimidia etiam meritorum pars restituitur: si autem sit in qualibet alia proportione, in eadem etiam reparantur & merita. Ita Sor. & Ledesm. cit.

57. Fundantur, quia merita resurgunt, & reviviscunt juxta dispositionem pœnitentis; ergo si dispositio pœnitentis sit summa, comparatione factà ad conatum ejus juxta vires gratiæ ipsi collatas, etiam meritorum restitutio erit summa, quæ in tali homine esse potest, sicque perfecta, & integra; consequenterque juxta proportionem contritionis erit etiam hujusmodi meritorum præcedentium restitutio.

58. Rejicitur tamen hæc sententia, & ejus fundamentum: Primò, tum quia levi utitur coniecturâ in re gravissimâ: tum etiam, quia supponit, hanc meritorum præcedentium reparationem fieri secundum conatum, & dispositionem pœnitentis, ut causam per se talis effectus in suo genere, quod liberè assumit, quæ autem id non probat; ergo &c.

59. Rejicitur secundò, quia falsò supponit, dari hanc contritionem summam: aut enim loquitur de contritione summa absolute: aut de summa possibili hic, & nunc ex vi præsentis auxilii dati: Si primò, impossibilis est talis contritio; siquidem cum hæc, sicut & dilectio Dei, possit in infinitum auferri, nulla est assignabilis, quæ non sit assignabilis alia major; sicque nulla est absolute possibilis omnium summa: Si secundum, cum sæpè contingat, unum præveniri minori auxilio, quàm alium: si primus juxta mensuram sui auxilii eliciat contritionem ut duo, quæ respectu sui auxilii sit summa, acquireret restitutionem suorum meritorum: secundus verò, licet eliciat contritionem ut octo, cum non sit summa respectu sui auxilii, quia poterat eam elicere ut novem, non assequetur restitutionem præ-

præcedentium meritorum; sed hoc non videtur admittendum, ut patet; ergo &c.

62. Rejicitur tertio, quia ad consequendam gratiam, mediâ contritione, non requiritur contritio summa intensivè, etiamsi hæc possibilis sit, sed sufficit, imò necessariò requiritur summa appetitivè; nam si non sit ita appetitivè summa, licet talis sit intensivè, non sufficit ad gratiam consequendam; ergo neque ad meritorum præcedentium reviviscentiã necessaria erit summa illa intensio contritionis.

63. Rejicitur quarto, quia sequeretur, non posse hominem attritum cum Sacramento consequi præcedentium meritorum reviviscentiã, etiamsi habeat attritionem summam; siquidem hic non haberet tam perfectam dispositionem, quàm poterat, utpotè cui deesset contritio, quæ etiam imperfecta superat omnem attritionem perfectissimam; sed hoc est falsum; siquidem attritio cum Sacramento sufficit ad gratiam consequendam; ergo etiam sufficit ad meritorum præcedentium reviviscentiã; consequenterque ad hanc non est necessaria summa contritio.

64. Rejicitur quinto, quia si merita præcedentia reviviscerent juxta dispositionem hominis respicientis, quantitas gratiæ, in qua homo resurgit, inserviret ad taxandam gratiam debitam meritis præcedentibus; sed non inservit; siquidem hæc insurgit in ea intensio, quam antea habuit; ergo &c. Probatur Minor primò, quia licet homo hodie habeat gratiã ut octo ex vi præcedentis dispositionis, si tamen heri, quando elicuit actum meritorium, solum habebat gratiã ut duo, talis actus dum redit, non accipit valorem à gratiã ut octo hodiernã, sed à gratiã ut duo hesternã; ergo quantitas præsentis gratiæ non est mensura gratiæ præcedentis. Secundò, quia si ad mensuram præsentis dispositionis fieret reparatio gratiæ præcedentis, sequeretur, antiqua merita reviviscere, non solum secundum perfectionem præcedentem, sed etiam cum majori desumptã à majori perfectione præsentis dispositionis, & gratiæ, si hæc fuerit major, ut potest, quàm fuit præcedens; sed hoc nemo concedit; ergo neque illud.

SECTIO IV.

Aliorum sententia refutantur.

65. **T**ERTIA sententia affirmat, merita præcedentia redire quidem per subsequentem pœnitentiã, sed juxta dispositionem à Deo taxatam, & nobis ignotam. Ita P. Valent. cit. Rejicitur tamen: Primò, quia oneri succumbentis est ad ignota Sacramenta recurrere; cum Theologici studii sit, ac laboris, obscura inquirere, & revelare. Secundò, quia P. Valent. cit. fatetur, gratiam præcedentem non redire ex vi solius præsentis dispositionis, sed etiã meritorum præcedentium; sicque ea integrè adesse post pœnitentiã, ut Deum moveant ad præmium conferendum; sed ea ex se sunt condigna toto præmio eis correspondente, Deumq; movent ad totum restituendum; ergo non est, cur alia dispositio nobis ignota ad totius præmii restitutionem requiratur.

66. Rejicitur tertio, quia aut determinata illa dispositio, quam videtur exigere P. Valent. est necessaria ad meritorum reditum ex natura rei: aut ex sola Dei lege: Si primum; ergo principia, quæ testantur ejus naturalem necessitatem, poterunt etiam testari ejusdem intensioem, quin hæc soli judicio,

Tom. 2.

& notioni Dei cõmittatur: ac proinde, si minimum meritum, nempe ut unum, ad sui reparationem exigit aliquam dispositionem, ea quidem erit faltem minima ut unum; & meritum ut duo dispositionem ut duo, sicque de aliis: sicut eo gradu, & proportionem definimus dispositionem pœnitentis ad gratiam solum de congruo concessam, quin eam solius Dei notioni relinquamus. Non secundum; tum quia de tali lege aliquod testimonium daretur, cum tamen nullibi reperitur; tum etiam, quia ad integrum meritorum reditum nulla esset ex natura rei necessaria dispositio, quod non est dicendum; ergo &c.

67. Rejicitur quarto, ponamus dispositionem requisitam, & soli Deo notam hujusmodi esse, ut ad reditum gratiæ ut octo necessaria sit dispositio ut quatuor; & ad reditum gratiæ ut quatuor dispositio ut duo; admittit enim P. Valent. minorem exigi intentionem in dispositione, quàm in gratiã restituendã: tunc sequeretur, illos, qui ante commissum peccatum habuissent merita inæqualia, æqualem in vi gratiam, & in patria gloriam recepturos, si æquali contritione à peccato resurgant, & statim moriantur; hoc autem est contra illud D. Paul. 1. Cor. 3. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et 2. Cor. 3. *Referet unusquisq; prout gessit, sive bonum, sive malum:* quæ loca Sancti Patres sine discrimine intelligunt de meritis tam semper vivis, quàm peccato interruptis; ergo &c.

68. Quarta sententia defendit, præcedentia merita reviviscere quidem ad præmium essentialia, sed secundum proportionem charitatis, in qua resurgit homo, ad charitatem, quam per merita præcedentia fuerat consecutus, seu in qua erat, quando peccavit. Ita D. Thom. D. Bonav. Palud. Capreol. Cajet. Petr. Sor. & Ales. cit. apud P. Soar. d. 2. cit. sect. 2. num. 13. Quæ autem sit hæc proportio charitatis, ab his Doctoribus distinctè non explicatur; solum enim dicunt, merita resurgere, non secundum mensuram charitatis, in qua facta sunt, sed in qua homo resurgit: quæ quidem comparatio intelligenda est de charitate, in qua homo resurgit ex vi præsentis contritionis præcisè consideratæ, sine concursu præcedentium meritorum: sic enim aliquis certus gradus charitatis correspondet charitati.

69. Advertes primò, cum hujusmodi charitas, in qua homo resurgit, interdum possit esse major, interdum æqualis, & interdum minor, quàm illa, quæ debebatur ex vi omnium meritorum præcedentium, juxta fervorem contritionis, per quam homo à peccato resurgit, prædictos Authores asserentes, valorem præcedentium meritorum non esse mensurandum ex charitate in qua facta sunt, seu à qua homo cecidit, sed ex illa, in qua resurgit, consequenter sentire, fieri posse, ut non omnia merita reviviscant, id est, non ad integrum præmium essentialia; siquidem cum eorum valor sit mensurandus ex sola charitate, in qua homo resurgit, si homo resurgat ad minorem charitatem ex vi præsentis dispositionis, non possunt merita præcedentia habere tantum præmium, quantum haberent, si semper fuissent viva: Si autem charitas, in qua homo resurgit, sit major; tunc, dicunt, posse resurgere omnia merita mortificata totaliter, & ad integrum præmium.

70. Addunt tamen Doctores cit. licet homo in prima contritione, sive excitatione à peccato non resurgat in charitate æquali præcedenti, posse in decursu

T t t

decursu

decurfu vitæ paulatim ad illam pervenire, & tunc recuperaturum omnia merita præcedentia: si autem prius moriatur, quam attingat eum charitatis gradum, nunquam merita præcedentia integrè vivificari, neque hominem obtenturum totum eorum præmium effentiale; hoc enim posse aliquando accidere, supponit apertè *D. Thom. 3. p. q. 89. art. 2. corpore, & art. 5. ad 3.*

71. Advertes secundò, hanc sententiam dupliciter intelligi, & explicari posse: Primò, quod priora merita incipiant valere ad tantam charitatem, seu gloriam propter illa obtinendam, quanta est charitas, vel gloria, ad quam homo ex peccato resurgit; non quod una, & eadem charitas, vel gloria utroque titulo detur; sic enim incidemus in sententiam jam supra relatam, & impugnatam à *num. 23.* sed quod tanta charitas, vel gloria distincta deberi incipiat propter merita præcedentia, quanta respondet contritioni, per quam homo à peccato resurgit. Hic tamen modus explicandi efficit, quod præsens sententia coincidat cum illa, quam jam retulimus, & impugnavimus à *num. 58.* siquidem perinde est dicere, merita præcedentia reparari ad tot gradus gratiæ, & gloriæ, quot sunt gradus contritionis, aut quot sunt gradus charitatis, in qua homo resurgit à peccato; nam cum charitas, & contritio semper in gradu æquali, aut saltem proportionali conferantur, perinde est loqui de charitate, quæ ratione contritionis infunditur, ac de ipsa contritione.

72. Secundò potest hæc sententia explicari, quod merita præcedentia non reviviscant secundum valorem, quem acceperunt ex gratia, & charitate, ex qua primò processerunt, sed secundum valorem, quem haberent ex gratia, & charitate, in quam resurgunt, si ex ipsa procederent; sicque supponit hæc sententia ita explicata, majorem, aut minorem valorem meritorum desumendum esse ex majori, aut minori gratia, & charitate subiecti. Et hanc explicationem sequitur *P. Henric. lib. 4. de Sacram. cap. 16. & 34.* & admittunt *P. Soar. cit. n. 16. & P. Amicus cit. n. 43.* Adhuc tamen:

73. Rejicitur cum eodem *P. Soar. cit.* Primò, quia major, aut minor charitas in tantum auget, vel minuit valorem operis moralis in ratione meriti, in quantum ipsum opus ab ipsa charitate, & gratia procedit, tanquam à principio dignificante ipsum opus, & personam operantem; sed merita præcedentia mortificata non ita processerunt à charitate, & gratia, ex qua homo resurgit ex vi contritionis, cum illam præcesserint; ergo non ab illa, sed à charitate, & gratia, à qua primò processerunt, habent valorem suum, eandemque retinent in acceptatione divina.

74. Rejicitur secundò, quia si merita præcedentia haberent suum valorem à contritione, aut à charitate ei correspondente, hæc concurrerent ad eorum valorem tanquam causa per se; sed hoc non est dicendum; solum enim sunt causa per accidens removens impedimentum, nempe peccatum, ut priora merita suum habeant effectum; ergo sine causa dicuntur præcedentia merita reviviscere secundum mensuram charitatis correspondentis contritioni, & non potius secundum mensuram charitatis, à qua primò processerunt.

75. Confirmatur, quia alioquin contritio, aut charitas ei correspondens, concurreret ad hunc effectum vivificandi merita, non solum ut dispositio ad effectum talis meriti, sed etiam ut principium dans valorem tali merito; atqui hoc est falsum: tum quia talis charitas, neque est, neque unquam

fuit verum principium talis meriti; neque est ulla moralis ratio, ob quam debeat reputari, vel acceptari ut ejus principium: tum etiam, quia alioqui si charitas contritioni respondens esset major, quam fuit charitas, à qua processerunt talia merita, hæc deberent resurgere cum majori valore, quam antea habebant, utpotè quæ resurgerent dignificata à nobiliori principio charitatis; nam si hujus remissio eorum valorem minuit, cur ejus excessus non augebit? ergo &c.

76. Quinta sententia tuetur, merita præcedentia resurgere ad totum jus gloriæ eis correspondens, non tamen ad totam gratiam deperditam. Ita *Scot. in 4. dist. 22. art. 2. Mayron. Bassol. & Marsil. cit.* sicque asserunt, penitentem semper resurgere ad majorem gloriam, quam antea ei debebatur; siquidem præter gloriam, quæ respondet præfenti gratiæ, resurgit ad totam gloriam respondentem meritis præcedentibus: non tamen semper resurgere ad majorem gratiam; siquidem cum non restituatur antiqua, & ea, quæ datur ob præsentem contritionem, non semper fit æqualis gratiæ deperditæ, non semper penitens resurgit ad majorem, vel ad æqualem gratiam. Ita Doctores cit.

77. Rejicitur tamen hæc eorum sententia, quia merita præcedentia, ut ipsi Adversarii fatentur, resurgunt ad totam gloriam; ergo etiam ad totam gratiam; siquidem cum gloria debeat meritis propter gratiam, non possunt merita resurgere ad gloriam, quin etiam resurgant ad gratiam. Confirmatur primò, quia gratia, cum sit adæquata participatio Naturæ Divinæ, est radix, natura, & subiectum omnium perfectionum supernaturalium, quæ cum sint quædam participationes singulares Attributionum, dicunt attributionem ad gratiam, tanquam proprietates ad suam naturam, & subiectum; sed repugnat connaturaliter augeri proprietates, quin augeatur eorum forma, & natura, cuius sunt proprietates; ergo etiam augeri gloriam, & amorem beatificum, quin augeatur gratia, cuius sunt proprietates.

78. Confirmatur secundò, quia si merita præcedentia resurgerent ad majorem gloriam, & non ad majorem gratiam, cum Deus diligat creaturam propter gratiam, sequeretur, Deum plus præmiare, quem minus diligeret; siquidem tribueret majorem gloriam ei, qui minorem haberet gratiam; hoc autem non est admittendum; ergo &c. Tertio, quia sicut jus ad gloriam fundatur in gratia; ita majus jus ad majorem gloriam fundatur in majori gratia; cum ipsa gratia sit passiva adoptio Dei, quæ jus tribuit ad ipsius gloriam; sed merita præcedentia resurgunt ad majus jus ad gloriam, ut ipsi Adversarii fatentur; ergo etiam resurgunt ad majus jus ad gratiam.

79. Dicunt cum *Scot. cit.* Merita, quibus respondet jus ad gloriam, cum sint opera nostra, per peccatum non deperduntur, sed tantum impediuntur; semper enim per illa manet in nobis jus ad gloriam, licet impeditum, & suspensum propter peccatum: gratia verò, cum sit purum donum Dei, semel amissa, nunquam redit, quia nullum jus ad illam manet in nobis; ergo licet merita præcedentia reviviscant ad majorem gloriam, non ita reviviscant ad majorem gratiam.

80. Sed contra primò, quia hoc fundamentum, si quid probat, ad summum probat de primâ gratiâ nobis collatâ sine nostris meritis; & de gratiâ Sacramentali collatâ ex opere operato Christi Domini; non autem de gratiâ nobis collatâ ex nostris meritis, de qua est eadem ratio, ac de ipsa gloria. Patet.

Patet, quia meritis in gratia, & ex gratia factis, non minus respondet, ut primum, augmentum gratiæ, quam gloriæ; sed merita resurgunt ad augmentum gloriæ, ut ad primum sibi debitum de condigno, ut ipsi fatentur; ergo etiam sic resurgunt ad augmentum gratiæ.

81. Secundò, quia hoc fundamentum, neque etiam probat de gratiâ nobis collatâ ex opere operato, & sine nostris meritis. Patet, quia licet talis gratia sit purum donum Dei; semel tamen collata, fit nostra, non minus, quam cætera dona Dei nobis collata; ergo semper manet in acceptatione divina tanquam nostra; sed nostra non ita amittitur per subsequens peccatum, ut per subsequentem pœnitentiam non reviviscat; ergo neque ista sic amittitur; ac proinde gratis, & liberè dicitur, quod quæ pendet ex liberali donatione Dei, semel per peccatum amissa, nunquam per pœnitentiam recuperantur; hoc enim erat probandum; præsertim quando excellens Misericordia Dei oppositum suadet, cujus dona sunt absque pœnitentia, ut ait D. Paul. ad Rom. 12. quamdiu per nos non steterit:

82. Addo, quod quæ respectu nostri à Deo gratis donantur, non ita gratis donantur respectu Christi Domini, cujus meritis omnia debentur; gratia igitur semel nobis ex meritis Christi Domini applicata, non minus fit nostra, quam gratia nobis collata ex propriis meritis; siquidem merita Christi Domini ex ipsius ordinatione fiunt etiam nostra. Sed de hoc specialiter nobis sermo erit *sect. 6.*

SECTIO V.

Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contra nostram Sententiam.



83. ARGUES 1. D. Hieron. relatus in cap. Quicunque, *dist. 56.* sic ait: *Quicumque dignitatem divini gradus non custodierint, contenti sicut animam salvare; reverti enim in pristinum gradum difficile est:* ubi plus exigit ad recuperandum pristinum gradum amicitiae divinae, quam ad consequendam salutem animæ; sed ad hanc consequendam sufficiens est qualicumque contritio, etiam minima; ergo videtur sentire per subsequentem pœnitentiam non reviviscere merita quoad integrum primum. Respondeo D. Hieronymum non negare, quamcumque contritionem, per quam peccator potest consequi animæ salutem, sufficere etiam ad recuperandam pristinam gratiam, sed tantum significasse hujusmodi contritionem, licet remissam, esse difficilem. Accedit, plures intelligere D. Hieron. & eum Canonem de restitutione quoad gradum pristinum immunitatis à pœnâ temporali, vel habitibus viciosi, ad quem peccator, etiam post pœnitentiam, non revertitur.

84. ARGUES 2. D. Tho. in 3. *dist. 31. q. 1. art. 4. q. 3. ad 4.* sic habet: *Per priora merita merebatur homo sibi tantam gloriam, quantum charitatem habebat; sed ipse per peccatum factus est alter, & non plenarie ad pristinum gradum restitutus, & ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum;* ergo docet per subsequentem pœnitentiam non restitui homini integram gratiam, & totale jus ad pristinam gloriam. Idem videtur docere 3. *q. 89. art. 5. ad 3.* Respondeo D. Thom. apertius favere oppositæ, quam nostræ sententiæ, licet à nostrâ omninò alienus non sit loco proximè citato. Quia tamen Ange-

licus Doctor mentem suam non prodit ut omninò certam, & evidentem, sed tantum ut probabilem, facultatem nobis facit, ut oppositum eligamus, quando sacris Litteris, Trid. & rationi Theologicæ fuerit conformius.

85. ARGUES 3. Eiusdem conditionis est gratia primò infundenda, & iterum recuperanda; sed quando primò infunditur, exigit dispositionem in suscipiente, & pro majori, aut minori ejus perfectione, major, aut minor est perfectio gratiæ infusæ; ergo etiam, quando gratia amissa recuperatur, eandem exigit dispositionem, & ad ejus mensuram erit gratiæ recuperatio. Respondeo concedendo totum; nam etiam quando gratia amissa recuperatur, adest dispositio necessaria ejus recuperationi, nempe condignitas pristina præcedentium meritorum, quæ post pœnitentiam redit, & est sufficiens seorsim ab alia dispositione ad integram ejus recuperationem, ut fuerat sufficiens ad primam ejus infusionem: nam sicut interpositio peccati nullam pristinae condignitatis partem abstulit, ita neque dispositionis meritoria sufficiens ad integram ipsius gratiæ recuperationem.

86. ARGUES 4. Si tota gratia integrè rediret, pœnitens resurgeret à peccato cum majori gratia, majorique jure ad gloriam, quam antea habebat; siquidem ultragratiam pristinam acciperet gratiam præsentis contritioni respondentem; hoc autem est absurdum; ergo &c. Respondeo negando minorem; imò oppositum, utpotè minus conforme Sacris Litteris, Conciliis, Sanctis Patribus, & rationi Theologicæ, absurdum censendum est.

87. Instabis: Si hoc ita esset, homo, qui diu jacuerat in fatidissimo flagitiorum cœno, statim post contritionem etiam minimam, & valdè remissam, restitui posset in tantam amicitiam cum Deo, quantum prius diuturno labore comparaverat, majorisque familiaritatem, uberioremque auxiliorum gratiæ communicationem; sed hoc videtur incredibile; ergo &c. Respondeo negando minorem; esset enim id incredibile, si pœnitens titulo, & jure solius contritionis, etiam remissæ, in tantam gratiam pristinam rediret, quantum prius, & majorem etiam gratiam, & familiaritatem cum Deo compararet: at verò non ita erit incredibile, si titulo, & jure præcedentium meritorum, quæ adæquatè redeunt, id habeat; nam cum merita præcedentia omni illâ gratiâ condigna sint, & in eum statum, quem antea habebant, redeant, credibilis est, Deum juxta eorum condignitatem, quam infra illam, homini gratiam, & jus ad gloriam conferre.

88. Urgebis: Homo dum peccata multiplicat, gravissimas injurias Deo infert; sed recta ratio exigit, ut qui gravissimis injuriis alterum affecit, non statim redeat in eandem omninò benevolentiam, & gratiam antiquam; ergo &c. Respondeo negando minorem; remissâ enim omninò per pœnitentiam injuriâ, & statim redeunte jure, & condignitate ad pristinam amicitiam, recta ratio exigit, ut etiam statim, qui injuriam intulit, in pristinam benevolentiam, & familiaritatem revocetur; siquidem in pristinum indemnitate statum integrâ condonatione, & oblivione injuriæ, ac si nunquam præcessisset, traducitur.

89. ARGUES 5. Si homo ad minimam contritionem recipit omnem gratiam per peccatum amissam, & insuper novam aliam ipsi contritioni respondentem, sequitur, quod melius sit homini peccare, ut per pœnitentiam resurgat, quam non peccare; siquidem per pœnitentiam resurgens augetur

eius præmium essentialè, & non ita augetur, illà deficientes; sed hoc non est dicendū; alioqui homo ex suo peccato commodum reportaret, & ob id ad peccandum excitaretur; ergo &c. Respondeo negando sequelam: nullum enim est absurdum concedere, illum, qui post multa merita præcedentia peccat, & iterum per penitentiam resurgit, majus præmium consequi, quàm qui utroque actu caret, & otiosus est, quod quidem certissimum est; nec tamen inde sequitur, illud augmentum præmii tribuendum esse peccato, & ex peccato suo hominem commodum reportare, meliusque esse peccare, quàm justitiam conservare; siquidem totum illud augmentum tribuitur, & condignitati meritorum præcedentium, & contritioni, quæ subsequitur peccatum, quod solum occasionaliter, & per accidens potest dici causa illius augmenti, quod nullum est absurdum; sic enim ex peccato Adami subsecutum fuit maximum bonum, qualis fuit Incarnatio Verbi Divini.

90. Neque etiam sequitur, quod hujusmodi augmentum non possit homo assequi, nisi præsupposito peccato, de quo conteritur, & dolet; hoc enim est falsum, potest namque illud assequi per actus meritorios non supponentes peccatum, quos potest elicere, si velit; si verò non eliciat, sibi imputet carere augmento ejusdem præmii. Unde nunquam dicendum est, quod peccare secundum se sit eligibile; licet supposito jam peccato, eligibilis, imò & à Deo prædestinabilis (ut alibi diximus,) sit penitentia, ratione cujus restituuntur merita præcedentia quoad effectum, & præmium.

91. Argues 6. Mortificatio meritorum est pœna peccati; sed pœna peccati non tollitur statim adæquatè, sed paulatim; ergo neque statim homo evahitur ad pristinum, minùsque ad majorem amicitia gradum. Respondeo primò, nos in præfenti solum asserere, merita præcedentia per peccatum mortificata iterum per subsequentem penitentiam reviviscere: An verò paulatim, vel statim omnia simul reviviscant? Pertinet ad aliam difficultatem, de qua in octavà & nonâ Sectione; sicq; argumentum contra traditam doctrinam directè non probat: imò cum probet, aliqua saltem merita præcedentia reviviscere, ut consideranti patebit, potius pro nobis, quàm contra nos facit.

92. Respondeo secundò, minorem esse veram de pœnâ temporali, & accidentali, quæ quidem non statim remittitur adæquatè, sed paulatim: secus verò de pœnâ substantiali, & æternâ, quæ quidem statim, & simul remittitur: detractio enim gratiæ, & gloriæ essentialis, est pœna substantialis, & æterna; siquid est damnum præmii substantialis, & quod ex parte Dei, si homo ulterius non disponatur ad remissionem, in æternū durabit: cum autem hæc pœna statim simul tollatur, quando per subsequentem penitentiam tollitur peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, statim, ac simul homini restituuntur omnia præcedentia merita quoad integrum præmium eis debitum.

93. Argues 7. Si merita præcedentia per peccatum mortificata iterum per subsequentem penitentiam redirent ad integrum præmium essentialè, sequeretur, cæteris paribus, non impediri augmentum ipsius præmii, sive gratiæ per ipsum peccatum commissum; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Probatur sequela, quia si unus ex duobus æquè justis nullum hodie committat peccatum, alius verò manè illud committat, nocte autem uterque eliciat æqualem actum contritionis, nempe ut quatuor, uterque conse-

quetur æqualem gratiam, licet unus peccatum commiserit; ergo jam illius peccatum non ei impedit augmentum præmii ratione meritorum præcedentium debiti, si hæc iterum redirent ad præmium, quod videtur absurdum.

Respondeo concedendo sequelam, si loquamur de homine peccatore, non pro statu peccati, sed pro statu contritionis; nullum enim est absurdum, quod gratia, quæ in homine non habuit suum effectum ex eo tantum, quod erat in peccato, hoc sublato per contritionem, quod erat causa impediens, possit habere totum suum effectum, quod antea non præstabat propter peccatum impediens. Unde inter duos illos homines hæc tantum esset diversitas, quod qui peccavit, pro tempore peccati fuerit in statu damnationis, dignus omni pœnâ, & odio, & quod privaretur auxilio ad resurgendum: at verò qui non peccavit, fuit in statu salutis, dignus actuali amore, & auxilio divino ad bene operandum. Deinde hic non peccando meruit augmentum suum ex rigore justitiæ: at verò ille, quia peccavit, solum suppositâ Misericordiâ, quæ reparacionem obtinuit, & meritorum præmium, prout supra diximus.

Argues 8. Si omnia merita præcedentia per subsequentem penitentiam redirent ad integrum præmium gratiæ, & gloriæ, sequeretur, hominem semper salvari cum maxima gratia, quam in toto vitæ tempore habuit, etiam si millies peccaverit; sed hæc propositio: *Deus semper vocat hominem ab hac vita in optimo statu, quem in illa habuit, fuit damnata à Theologis Parisiensibus, ut refert Major. in 4. dist. 22. quest. 2. apud P. Sarr. cit. d. 2. sect. 3. num. 59.* ergo &c. Respondeo concedendo sequelam: neque propositio illa, si de solis prædestinatis intelligatur, est digna censurâ, sed omnino vera: si autem absolute de omnibus hominibus proferatur, merito damnatur, ut fuit damnata à Parisiensibus ratione reprobatorum, de quibus certum est, sæpè fuisse justos in hac vita, & tandem, nonobstante præcedente justitiâ, quam per peccatum amiserunt, & in quo decesserunt, fuisse damnatos.

Unde advertes, cum nullus salvetur, nisi electus, & prædestinatus, & prædestinatio sit ad certum gradum gratiæ, & gloriæ, prout alibi diximus *tomo 1. tract. 2.* verisimile esse, cum primùm prædestinatus pervenit ad illum gradum gratiæ, ad quem præordinatus est, statim rapi, ne malitia mutet intellectum ejus: si verò contingat, quod aliquis post insignem justitiam non persistatur mori, sed potius peccare, ita tamen, ut postea resurgat, & tandem salvetur, idè est, quia nondum pervenerat ad gradum gratiæ, & gloriæ, ad quem fuerat præordinatus, & quem tandem consequitur per penitentiam, totam etiam justitiam recuperando, sicque semper vocatur in optimo statu, quem in vita habuit.

Argues 9. Licet homo ante lapsum meruerit gratiam, jam reverà illam obtinuit, sicque Deus illius opera debito præmio remuneravit; ergo si illud culpabiliter amiserit, non tenebitur Deus, saltem ex justitiâ, iterum simile præmium reddere ob eadem merita; alioqui teneretur Deus bis eadem merita eodem genere præmii remunerare. Respondeo negando consequentiam: opera enim meritoria in gratia, & ex gratia elicita, suppositâ promissione, & acceptatione Dei, habent vim, quantum est ex se, ut obtineant, non solum infusionem gratiæ, sed etiam perpetuam ejus conservationem ex justitiâ, quæ si interrumpatur per pecca-

peccatum, hoc sublato, quod meritorum præmium, ejusque conservationem impedit, statim redire necesse est. Neque ex hoc sequitur, dari ibi duplicem remunerationem ejusdem meriti, sed quædam moralis continuatio ejusdem præmii, quod ex vi operis meritorii, suppositâ acceptatione, & promissione Dei, exigit illam perpetuitatem; sicut illam exigit præmium gloriæ, ex quo sumitur argumentum ad præmium gratiæ, in qua ipsa gloria fundatur.

98. Inferes: Ergo sicut præmium gloriæ ita exigit perpetuitatem, ut sit omnino inamissibile: ita etiam inamissibile erit præmium gratiæ. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia gloria semel data, jam ejus conservatio non pendet à voluntate creata, cum jam non habeat libertatem ad illam conservandam, aut non conservandam, ideoque est inamissibilis: at verò gratia, quando homo est in via, datur cum subordinatione ad ejus voluntatem, quæ cum sit libera, liberè potest gratiam conservare, aut amittere, & per peccatum interrompere, sicut & per penitentiam recuperare.

99. Argues 10. Si penitens recuperaret gratiam amissam integram, aut illam recuperaret novo merito; aut antiquo: Non primum; siquidem illud adæquatè remuneratur præsentis gratiæ: Non secundum; alioqui posset quis per merita in gratiâ facta mereri sibi reparationem post lapsum conferendam; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad secundam partem, & ejus probationem: homo enim recuperat antiqua merita, eorumque præmium, non ex novo merito contritionis; siquidem hæc respectu antiquorum meritorum solum est obicis remotio; sed ex meritis antiquis, positâ promissione Dei, qui omnia merita semel in gratiâ elicit, semper, sublato obice, ad præmium acceptat. Ad probationem dicimus, hominem, dum existit in peccato, non esse dignum, ut ei conferatur gratia ad reparationem sibi promerendam.

100. Instabis: Homo, dum erat in gratiâ, fuit dignus, ut ei restitueretur gratia post lapsum futurum; ergo &c. Respondeo cum *D. Thom. 1. 2. quasi. 114. art. 7. & P. Amico tomo 8. d. 8. num. 71.* negando antecedens: nam ut homo sit dignus recipere gratiam, non sufficit, ut fuerit dignus, quando elicit meritum, sed debet esse dignus, quando gratiam recipit; siquidem debet esse dignus, non solum ut principium eliciens meritum, sed etiam ut subjectum recipiens effectum meriti. Patet, nam ut quis mereatur alteri, non solum debet esse dignus qui mereatur, sed etiam subjectum, cui mereatur; sed homo per peccatum fit subjectum indignum, cui mereatur; ergo licet ut principium mereas fuerit dignum, quia tamen ut subjectum recipiens non est dignum, non potest meritorie recipere primam gratiam post lapsum ex meritis elicitis tempore gratiæ. Hæc juxta præsentem doctrinam, nam, utrum, & quomodo quis possit sibi, vel alteri mereri reparationem post lapsum? Diximus supra *trañ. 2.*

101. Argues 11. Si omnia merita per peccatum mortificata iterum per subsequentem penitentiam redirent, sequeretur, timorem peccandi in hominibus minui ob spem recuperandi priora merita, & teporem in eis causari, dum sciunt per penitentiam, etiam remissam, & minimam, posse omnem gratiam amissam recuperare; non enim ad majorem, & intensiorem contritionem se disposerent; sed hoc non est admittendum; ergo &c. Respondeo argumentum, si valeret, etiam probare contra Adversarios, quatenus admittentes cum com-

muni per quamcumque penitentiam, etiam remissam, remitti peccata, de hoc tamen argumento non curant, cum etiam contra eos argui posset, hanc facilitatem justificationis videri minuere timorem peccandi.

102. Additur primò, contrariam sententiam multum minuere Misericordiam Divinam, dum asserit, Deum præmii solutionem differre, cum tamen subiectum sit capax illud statim recipiendi. Secundò, etiam minuere vim, & efficaciam penitentiae, ad quam alacriores fiunt homines, dum excitantur spe recuperandi tantum bonum. Tertio, licet aliqui inde sumant occasionem ad facilius peccandum, ceteros tamen inde magis moveri ad Deum impensius, ac ferventius amandum.

103. Argues 12. Si merita præcedentia iterum redirent per penitentiam ad integrum præmium gratiæ, & gloriæ eis antecesserent respondens, sequeretur, hominem recipientem gratiam in ea perfectione, in qua antea erat ante lapsum, & insuper gratiam respondentem præsentis dispositioni, facilius, & ferventius exercere actus virtutum post lapsum, quam ante; sed experientia contrarium testatur; homines enim post peccata commissa majorem difficultatem experiuntur in exercendis virtutum actibus, etiam si per penitentiam ad omnem pristinam gratiam redeant, illamque in eadem intentione recuperent; ergo &c.

104. Resp. non paucos post lapsum ferventiores resurgere, licet hoc non semper experimento probetur, quod tamen provenit à pravis dispositionibus, & habitibus, contrariis per peccata contractis, & acquisitis; non autem probat contra restitutionem habituum supernaturalium, utpote qui neque quoad substantiam neque quoad intentionem experiuntur, cum non dent facilitatem ad operationem, neque ad illam sensibilibiter inclinent, ut faciunt naturales habitus. Unde facilitas, aut fervor, qui post continuationem actuum supernaturalium experitur, aut provenit à gratiis prævenientibus, aut ab habitibus naturalibus, & acquisitis, qui tamen non acquiruntur per ipsos actus supernaturales, sed per naturales, quos aut simul cum supernaturalibus elicimus, aut quia sæpè, dum putamus nos elicere actus supernaturales, naturales reverà elicimus, qui proinde suos generant habitus.

105. Argues 13. Adamo per subsequentem penitentiam non fuit restituta justitia originalis, quam habuit ante peccatum; ergo jam non omnis gratia præcedens restituitur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia gratia illa data fuit Adamo sub conditione observationis præcepti, ita ut, transgressione positâ, eam irrecuperabiliter amitteret, juxta illud: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Unde gratia illa ad alium statum Providentiæ Divinæ pertinebat, qui cum per peccatum Adæ fuerit amissus, non erat, ad quod gratia talem statum constituens rediret: at verò gratia, de qua loquimur, non habet adjunctam illam conditionem, neque ad statum alium diversum spectat, sed potius contrarium constat ex traditis fundamentis. Utrum verò Adamo per subsequentem penitentiam fuerit restituta gratia habitualis, quam habuit in statu innocentiae ante lapsum? Ex infra dicendis constabit. Sit igitur:

SECTIO VI.

*Utrum per penitentiam restituatur
etiã gratia habita sine
meritis?*

106. **A**CTENUS egimus de restitutione gratiæ, quæ erat in homine antecederet ad peccatum, & quam suis meritis sibi comparaverat. Cum tamen in eodem sit etiã gratia, quæ sine propriis meritis fuit ei concessa, nempe ex opere operato, & intuitu meritorum Christi Domini, quæ per Sacramenta nobis applicantur: Dubium hic est: Utrum hujusmodi gratia plenè, & perfectè restituatur per subsequentem penitentiam, ita ut homo tantam reciperet, quantam habebat ante lapsum?

107. Resolutio affirmativa, quam sequimur, communior est, eamque tenent *Aureol. in 4. dist. 22. art. 1. Ocham. in 4. q. 9. Gabr. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 3. Almain. dist. 22. q. 1. art. 2. Major. dist. 22. q. 1. Medin. cod. de Penit. q. 8. P. Valent. q. 6. punct. 1. P. Soar. de Reviviscet. d. 2. sect. 3. n. 57. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 5. dub. 1. n. 8. P. Agid. d. 2. de Penit. dub. 20. n. 170. P. Bevan. Soc. Bannez. P. Lugo. d. 11. de Penit. sect. 3. n. 45. P. Amicus tom. 8. d. 8. n. 61. P. Ripal. tom. 2. d. 91. n. 68. P. Soar. Lusit. tract. 1. de Penit. d. 4. sect. 2. n. 425. P. Ariag. tom. 8. d. 16. sect. 8. num. 52. & alii. Probatur primò ex P. Soar. cit. quia gratia debita propriis meritis, tota restituitur; ergo etiã sic restituatur, quæ data est ex meritis Christi Domini; alioqui meritum Christi Domini semel nobis applicatum minùs efficax esset, quàm nostrum proprium ad gratiam amissam reparandam.*

108. Dicent. esse diversam rationem; siquidem ad primam gratiam ex propriis meritis acquisitam, habuit homo jus rigorosum: non ita tamen ad secundam; quæ cum non detur ex propriis meritis, sed ex mera liberalitate, & donatione Dei, si homo illam semel amisit per peccatum, nullum ei jus maneat ad illius restitutionem exigendam, neque nos habemus fundamentum, ut illam asseramus.

109. Sed contra cum eodem P. Soar. P. Amico, & aliis, quia licet gratia illa nobis detur ex opere operato, & ex meritis Christi Domini liberali quâdam donatione, datur tamen ex justitia respectu meritorum Christi Domini, quæ nobis applicantur; hæc autem applicatio, cum sit quædam donatio meritorum Christi nobis facta, efficit, ut semel positâ tali applicatione, ejus merita fiant etiã quodam modo nostra in acceptatione divina; siquidem hujusmodi donatio non est temporalis, sed perpetua ex parte Christi Domini, & Dei acceptantis; sunt enim ejus dona absque penitentia, ut dicitur Rom. 11. ergo datur eadem ratio, ut resurgat hæc gratia, sicut & alia, quatenus utraque non deperditur, sed tantum mortificatur per peccatum.

110. Dicent. 2. cum P. Lugo cit. num. 47. prædictam rationem probare quidem possibile in esse talem restitutionem; non tamen dari de facto; sicque potuisse Christum Dominum ita nobis sua merita applicare, ut nobis conferrent jus ad præmium ipsis debitum, non solum quoad primam collationem, sed etiã quoad restitutionem per penitentiam post lapsum; non tamen inde sequi ita fuisse factum. Patet, nam ex eo, quod nobis detur aliquid ex Christi meritis, non sequitur dari

cum omni perfectione, & jure ipsis debito; siquidem Christi merita poterant nobis conferre, non solum gratiam, sed etiã ejus perseverantiam, ita ut semel data maneret inamissibilis, cum ad utrumque habeant valorem; & tamen de facto non ita fuerunt nobis applicata; ergo etiã ita poterimus dicere de facto quoad primam gratiæ collationem, non verò quoad ejus reparationem post lapsum per penitentiam.

Sed contra, quia gratia semel nobis collata ex meritis Christi Domini de facto non minùs fit nostra, quàm gratia nobis collata ex propriis meritis; ergo merita Christi Domini de facto fuerunt nobis applicata, ut de facto nobis conferrent jus ad primam hujus gratiæ collationem; sicut nobis illud conferunt nostra propria merita ad gratiam sibi respondentem; sed hæc etiã de facto illud nobis conferunt ad ejus reparationem post lapsum; ergo sic etiã conferent merita Christi de facto; alioqui minùs efficacia essent merita Christi, quàm merita hominis ad retributionem gratiæ. Neque ratio adducta de non applicatione meritorum Christi quoad perseverantiam in gratia, convincit contra eorum applicationem de facto quoad reparationem ipsis gratiæ; nam ad hanc asserendam cogimur à ratione proximè factâ, nè scilicet dicamus, minoris efficaciam esse merita Christi nobis applicata, & nostra per ejus applicationem jam facta, quàm nostra propria merita: ad illam verò asserendam habemus in contrarium libertatem creatam, cui Deus subjctam voluit gratiæ conservationem.

Dicent. 3. Merita Christi Domini potuisse quidem esse efficaciam ad restitutionem gratiæ Sacramentalis, dummodo Sacramentis applicentur cum voluntate divina restituendi talem gratiam; nullo autem fundamento constare, ea sic fuisse applicata, & Sacramenta cum tali vi instituta. Sed contra primò, quia si eo pacto non essent instituta Sacramenta, vix hominibus prodessent ad gloriam; siquidem frequentissimum est, & ipsorum infirmitati congenitum, gratiam Sacramentalem peccatis interrompere; ergo Christus Dominus fragilitatem humanam cernens, & in æternam ipsorum salutem & gloriam Sacramenta instituens, credi non potest aliter ea instituisse.

Secundò, quia etiã merita hominis potuerunt peccato extingui, quin redirent, si Deus voluisset, remissâ culpâ, non remittere debitum pœnæ, ut poterat, prout supra diximus, & infra dicemus; & tamen, quia constat, Deum remittere peccatum quoad culpam, & pœnam, colligitur, suppositâ jam eâ voluntate Dei, ex natura rei redire merita absque novo ipsius favore; ergo etiã, suppositâ eâ voluntate Dei, redibit non solum condignitas meritorum Christi, sed etiã condignitas prioris ipsorum applicationis pro gratia conferenda suscipientibus Sacramenta; sed redeunte hujus applicationis condignitate, non potest non redire gratia Sacramentalis tali applicationi conjuncta; ergo &c.

Tertiò, quia merita Domini, non solum in actu primo, & quoad sufficientiam, sed etiã in actu secundo, & quoad efficaciam merentur suscipientibus Sacramenta, ut eis concedatur gratia perseverans pro omni instanti, pro quo ipsi per suos actus merentur, eam sibi perseverantè concedi, nempe pro omni tempore, quo peccatum non obest; siquidem efficaciam meritorum Christi substituit propriam condignitatem hominum, quæ eis ad gratiam Sacramentalem deficit; sed ipsi per suos

suos actus mererent gratiam, non solum in actu primo, & quoad iusticiam, sed etiam in actu secundo, & quoad efficiam, sibi conferendam pro instanti justificationis subsequenti, & abolenti peccatum interpositum; ergo etiam id merentur in actu secundo, & quoad efficaciam merita Christi Domini ex institutione, & applicatione Sacramentali.

115. Quarto, quia licet nullum adsit testimonium Sacrae Paginae pro gratia Sacramentali conferenda, recedente fictione, qua Sacramentum suscipitur, tamen id à Theologis conceditur, ut infra videbimus, nè Sacramentum frustraretur suo effectu, & sine, ad quem institutum est; sed omnia Sacramenta similiter frustrarentur suo effectu, & sine principali, nempè perducendi hominem ad gloriam, si recedente peccato, non restitueretur eorum gratia Sacramentalis; ergo &c.

116. Probatur secundò ex P. Lugo & P. Soar. Luffit. cit. quia si per subsequentem justificationem non restitueretur homini gratia Sacramentalis, hæc ei negaretur in pœnam peccati, & cum talis pœna etiam perseveraret in patria, & in æternum, sequeretur, Beatum puniri ibi pœnâ aliquâ æternâ, idque propter peccatum jam remissum; sed neque cum illo statu admittitur pœna; neque Deus puniit peccatum à se remissum pœnâ æternâ; ergo &c.

117. Hæc tamen ratio non convincit, ut patet ex supra dictis d. 1. à n. 36. Deinde facile negari poterit, carentiam illam gratia futuram propriè pœnam; nam si Deus ipsam gratiam Sacramentalem concederet sub conditione conservationis status in gratia, hoc amisso pro peccatum, etiam homo irrecuperabiliter amitteret ipsam gratiam, illaque in æternum privaretur; & tamen talis privatio non esset pœna; siquidem, conditione deficiente, nullum jus haberet ad talem gratiam exigendam; ergo &c. Confirmatur, quia Adamo non fuit restituta gratia originalis, & fortasse nulla, quam habuit in statu innocentia (de quo infra,) eaque privabitur in æternum, ut ipsi P. Lugo, & P. Soar. Luffit. non negabunt, imò fatentur; & tamen non dicitur pati pœnam æternam; siquidem ei non debebatur restitutio, cum ei daretur gratia sub pacto non transgrediendi præceptum, quod transgressus est; ergo idem dici poterit de gratia Sacramentali, si sub simili pacto concedatur. Igitur melius:

118. Probatur tertio, quia quod gratia Sacramentalis per subsequentem penitentiam restituitur, conformis est sacrae Paginae, Concilii, & Sanctis Patribus, quatenus, dum indicant, hominem per penitentiam in pristinam gratiam, & abundantiam redire, sine ullo discrimine loquuntur; ergo etiam de gratia Sacramentali intelligendi sunt. Confirmatur primò ex illo Joël. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus*: quæ verba exponit Glossa de recuperatione pristinae gratia sine ulla distinctione. Secundò ex parabola de filio prodigo, cui revertenti ad Patrem restituta est stola prima, quam Patres intelligunt gratiam Baptismalem, ut ibi D. Chrysol. Jubeat, inquit, stolam illam primam proferri, vel pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat; si autem non restitueretur pristina gratia etiam Baptismalis, non daretur sola prima gratia, vel gloria, quam homo ex seductione Diaboli amiserat, cum possit contingere, ut ante peccatum nullam aliam induerit præter Sacramentalem.

119. Probatur quarto, quia condignitas meritorum redit, ut supra probavimus; ergo etiam gratia Sacramentalis. Probatur consequentiâ, quia condignitas

meritorum constituitur essentialiter ex dignitate gratia sanctificantis, ut diximus *tract. 2. d. 2. à num. 515*, sed prima merita post justificationem Sacramentalem elicta non constituuntur aliâ gratiâ, quam Sacramentali, cum aliam non supponant; ergo si redit eorum meritorum condignitas, etiam redit dignitas ipsius gratia Sacramentalis, quæ est ipsorum pars essentialiter constitutiva.

Dicent, hinc solum probari, gratiam Sacramentalem redire moraliter, non autem physicè, ut redeunt merita. Sed contra, quia gratia Sacramentalis redit moraliter; ergo etiam physicè. Probatur consequentiâ, nam eo ipso, quod redeat dignitas illius gratia moraliter ad collationem gloriae ut præmii meritorum, debet etiam redire moraliter ejus jus; & dignitas ad collationem ejusdem gloriae, ut hæreditatis; siquidem hæc dignitas est ab illa priori inseparabilis, ipsamque necessitudo antecedit, ut antecedit opera meritoria; ergo debet redire gloria illius gratia dignitati, & juri debita ut hæreditas, & in patria physicè conferenda; ergo etiam ipsa gratia aliquando physicè conferenda; siquidem juxta mensuram gloriae physicè collatae præsupponitur gratia physicè existens; atqui si quando ea gratia physicè restituitur, non est, cur non statim restituatur post penitentiam, quando ejus dignitas moraliter redit; ergo statim, non solum moraliter, sed etiam physicè recuperatur.

Probatur quintò, quia remissa injuriâ quoad culpam, & pœnam æternam, restituenda sunt jura, quæ in pœnam talis injuriæ ablata sunt; sed gratia Sacramentalis cum jure ipsius ad gloriam ut hæreditatem in pœnam peccati ablata est; sic enim ablata est gratia meritis acquisita, cum qua eandem habet oppositionem ipsa injuria Dei; ergo remissa injuriâ Dei quoad culpam, & quoad pœnam æternam, restituenda est gratia Sacramentalis cum jure ipsius ad hæreditatem gloriae; sicut restituitur gratia meritis acquisita. Adhuc tamen sit:

Dubium 1. Utrum etiam Adamo recuperaverit omnem gratiam, quæ ei fuerat data in statu innocentia? Dico 1. Non fuit ei restituta iustitia, five gratia originalis, neque alia dona ei statui annexa. Ita P. Soar. d. 2. de Reviviscent. sect. 3. n. 61. P. Ripal. tom. 2. d. 91. num. 76. P. Arriaga tom. 8. d. 16. num. 56. P. Soar. Luffit. tract. 1. de Penit. d. 4. n. 428. & alii. Probatur primò, quia hujusmodi gratia, & dona, prout supra gratiam sanctificantem addebant immortalitatem, impassibilitatem corporis, nec non subjectionem concupiscentia, & carentiam rebellionis, non pertinebant ad substantialem sanctitatem coram Deo, sed ad alium statum, & ordinem Providentiæ Divinae; sed in sacris Litteris satis expressum est, Deum statuisse legem de non restituendis donis iustitiæ originalis, si semel per peccatum fuissent deperdita, ut constat ex illo: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*; ergo &c.

Probatur secundò, quia hujusmodi dona erant temporalia, solum pro statu viæ provisiva; jactura autem bonorum temporalium tanquam pœna temporalis, potuit cum remissione peccati componi, ut componitur alia temporalis pœna; ergo &c. Probatur tertio, quia hujusmodi dona non erant partes essentielles condignitatis meritorum, ut erat gratia sanctificans; ergo licet hæc fuerit per penitentiam restituta, ut statim dicemus, non idèd necesse fuit illam restitui.

Dico 2. Gratia habitualis, five justificans Adamo infusa in prima ipsius creatione; & per peccatum

tum amissa, fuit ei iterum per penitentiam restituta. Ita Doctores proximè cit. Probatur primò, quia per penitentiam fuit ei restituta condignitas meritorum, quæ ante peccatum habuit informata per illam gratiam; sed condignitas illa non potuit redire absque ipsâ primâ gratiâ, quæ eorum valorem & condignitatem constituabat, prout supra diximus num. 119. ergo &c. Secundò, quia hujusmodi gratia Adamo concessa non fuit alterius ordinis, & rationis ab illa, quæ cæteris hominibus conceditur; sed hæc cum per peccatum interruptur, per penitentiam recuperatur; ergo idem dicendum erit de illa.

125. Dices 1. Adamus per penitentiam non recuperavit gratiam originalem per peccatum amissam; ergo neque gratiam justificantem ei infusam. Respondeo negando consequentiam; diversitas enim satis constat ex fundamentis utriusque conclusionis.

126. Dices 2. Sequeretur, Adamum habuisse aliquam gratiam, quæ non fuisset ei data ex meritis Christi, sed aut ex liberalitate Dei, aut propter merita, quæ sine gratiâ Christi fuissent facta, ita ut Christus Dominus solum per accidens fuisset illorum causa, quatenus scilicet meruit remissionem peccati, quod impediabat, ne Adamus gratiam illam assequeretur: eo modo, quo de facto non datur gratia amissa homini penitenti propter ejus penitentiam tanquam ob illius causam per se, sed solum per accidens, quatenus removet peccatum; atqui sequela non est admittenda; ergo neque illud, ex quo illa deducitur. Respondeo argumentum posse procedere, aut in opinione valde probabili asserente, Christum Dominum fuisse de facto prædestinatum ut Redemptorem in actu secundo ante absolutam præscientiam peccati, dependenter tamè ab ejus præscientia conditionata: aut in opinione, quam alibi ut probabilioris secuti sumus *tomo 1. tract. 2.* asserente, Christum Dominum de facto fuisse prædestinatum post prævisum peccatum in esse absoluto: Si in prima sententia, satis constat, omnem gratiam Adamo datam fuisse ex meritis Christi Domini jam prævisi in esse absoluto: Si verò in secunda, licet hujusmodi gratia non fuerit ei concessa ex meritis Christi quoad primam ejus collationem; fuit tamen quoad ejus reparationem, & reviviscantiam, quod sufficit, ut Adamus dicatur habere omnes gradus gratiæ, & gloriæ ex meritis Christi, ut alibi diximus.

127. Dubium 2. Utrum penitens semper resurgat in gratiâ majori, quàm fuerat illa, quam perdidit? Affirmativè. Ita *P. Soar. d. 2. de Reviviscant. sect. 3. num. 58. P. Ripal. tomo 2. d. 91. sect. 10. num. 73.* & alii supra cit. Probatur, quia, ut supra diximus num. 86. homo dum per penitentiam resurgit, præter antiquam gratiam, quam omnem recuperat, accipit etiam novam correspondentem penitentia, per quam resurgit; ergo &c.

128. Objicies 1. D. Thom. 3. part. *quæst. 89. art. 2.* asserit, penitentem quandoque in minori gratia resurgere; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Soar. P. Usq. & aliis ibi in comment. D. Thom.* minùs bene hoc loco sensisse. Respondeo secundò D. Thom. ibi non comparare totam gratiam, prout coalescit ex nova, & antiqua, cum solâ antiquâ; sic enim clarum est, quod sit major; siquidem omne totum est majus sua parte; quod Angelicum Doctorem latere non potuit. Sed loquitur de nova gratia, quam respectu antiquæ dicit aliquando esse minorem, nempe quando dispositio præsens est minor, quàm fuerat antiqua, quod est verû.

Objicies 2. Ex prædicta doctrina sequitur; peccatorem reportare lucrum ex sua iniquitate; siquidem ex peccato resurgit sanctior, quàm si non peccasset; hoc autem non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut supra diximus num. 89. imò maximum detrimentum reportat. Primò, quia quoad non penituit, fuit inimicus Dei, quod est gravissimum malum. Secundò, quia perdidit omnia bona opera facta tempore peccati, ut infra dicemus. Tertio, quia peccatum sæpè relinquit pravas reliquias, & habitus. Quarto, quia relinquit reatum pœnæ. Neque obstat, quod sanctior resurgat; aliud enim est loqui de ejus sanctitate per respectum ad illam, à qua exciderat, & sic resurgit sanctior, ut diximus: aliud de ejus sanctitate per respectum ad illam, quam tempore peccati, & loco illius poterat acquirere per actus meritorios contrarios, & sic non resurgit sanctior, neque lucrum, imò detrimentum reportat.

Objicies 3. Non semper homo post charitatem gravius cadit, quàm unquam antea ceciderat; ergo nec semper post peccatum gravior resurgit, quàm antea fuerat. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia per novum peccatum non redeunt antiqua semel remissa, ideoque homo per novum peccatum non cadit gravius: at verò per penitentiam reviviscunt antiqua merita, & cum eis etiam gratia antiqua illis correspondens, quæ simul cum aliâ ipsi penitentia respondens redit hominem sanctiorem, quàm antea fuerat, ut diximus.

Objicies 4. Ex prædicta doctrina sequitur, semper hominem salvari cum maxima gratia, quam habuit in toto vitæ tempore; siquidem tota antiqua recuperatur, & additur nova; sequela autem non videtur sana; sapit enim propositionem illam: *Deus semper vocat hominem in hac vita in optimo statu, quem in illa habuit*: quæ Parisiis fuit damnata; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam: illa verò propositio potest intelligi dupliciter. Primò restrictivè ad solos prædestinatos, & sic est vera. Secundò absolute, ita ut extendatur etiam ad reprobos, & sic est falsa, & fuit damnata, ut supra diximus num. 95.

SECTIO VII.

Aliqua difficultates propositæ, & resolutæ.

DIFFICULTAS I. Utrum per penitentiam recuperentur etiam virtutes? Adverte difficultatem non excitari de virtutibus naturalibus, & acquisitis, sed de supernaturalibus, & per se infusis, & iis quidem potissimum, quæ per peccatum mortale fuerant amissæ, & necdum alio quodam actu, saltem per modum dispositionis recuperatæ, ut aliquando potest accidere in virtutibus Fidei, & Spei: de quibus tamen ipsis aliqua ex parte procedit præsens difficultas, quatenus de gradu, & earundem perfectione, potest quæstio moveri, de qua re, ac de aliis virtutibus ferendum est judicium. Hoc posito.

Resolutio sit: Omnes ejusmodi virtutes per peccatum mortale amissæ, iterum per penitentiam recuperantur. Ita *D. Thom. 3. p. q. 89. art. 1. P. Soar. ibid. P. Tanner. tomo 4. d. 6. quæst. 5. dub. 1. num. 3. P. Amicus tomo 8. d. 8. num. 63. P. Ripal. tomo 2. d. 91. num. 75. P. Soar. Lustr. tract. 1. de Penit. d. 4. num. 437.* & alii communiter. Probatur, quia omnes

omnes virtutes infusa sunt connexæ cum gratia sanctificante, eamque consequuntur tanquam proprietates suam naturam, & essentiam; sed gratia sanctificans per peccatum amissa iterum per poenitentiam recuperatur; ergo etiam cum illa debent recuperari ejus proprietates, quales sunt ipsæ virtutes. Confirmatur, quia hujusmodi virtutes deperduntur, deperditâ ipsâ gratiâ; ergo etiam, illâ recuperatâ, recuperabuntur.

134. **Objicies 1.** Si hujusmodi virtutes post peccatum iterum recuperarentur, illis recuperatis, experiremur majorem, aut saltem antiquam facilitatem in illis exercendis; sed non ita experimur, imo contrarium; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Ripal. cit.* deficere poenitentem eam pristinam facilitatem in officia virtutum post longum vitiorum usum, nihil ob stare; siquidem virtutes infusæ non præstant facilitatem in suos actus.

135. Respondeo secundò cum *P. Soar. Lusit. cit. num. 438.* eam minorem facilitatem, quam post peccatum poenitens experitur, provenire ab habitibus contrariis, qui acquiruntur per peccata, ab illisque relinquuntur, & hi depravant naturam, eam inclinando ad vitia contraria. Unde difficultas in operando non provenit ex eo, quod virtutes non sint recuperatæ, sed ex eo, quod à vitiis contrariis retardentur, & aliquo modo impediuntur.

136. **Objicies 2.** Si omnes virtutes per peccatum amissæ iterum per poenitentiam recuperarentur, etiam sic recuperaretur virginitas; sed non ita recuperatur; ergo &c. Respondeo virtutem virginitatis, quam esse distinctam ab aliis virtutibus, & indistinctam à castitate docet *P. Tanner. tomo 4. d. 6. quest. 5. dub. 1. num. 4.* cum aliis, posse dupliciter sumi prout supra castitatem addit quandam perfectionem accidentalem. Primò prout addit perfectionem hanc positivè, qualis est integritas corporis in fœminis, quæ absolute non est de ratione virginitatis, ut virtus est, nam qui involuntariè, aut in somnis per effusionem seminis, aut in vigilia violenter per copulam amittit virginitatem, & corporis integritatem, non ideo amittit aureolam virginitatis in Beatitudine, ut suo loco dicemus. Secundò prout addit hanc perfectionem negativè, qualis est inexperientia voluptatis veneræ liberæ & voluntariæ. Primo modo sumpta virginitas, licet possit post lapsum de potentia Dei absoluta restitui, non tamen restituitur, semel amissa: Secundo autem modo sumpta, nunquam post lapsum potest restitui, etiam de potentia Dei absoluta, quia ad præteritum non datur regressus. Si verò virginitas sumatur prout dicit propositum servandi perpetuam integritatem, sicut virginitas secundum hunc mentis propositum recuperari potest, ita etiam ipsa virtus infusa virginitatis simul cum aliis virtutibus recuperatur. Ita cum aliis *P. Tanner. proximè cit. & tomo 3. d. 3. quest. 3. dub. 6. num. 128.*

137. Dixi supra num. 132. Difficultatem non excitari de virtutibus naturalibus, & acquisitis, quia hæc poenitentia non restituntur. Primò, quia virtutes acquisitæ non deperduntur in poenam peccati, neque acquiruntur merito actuum, sed paulatim generantur physicâ actuum causalitate, & pereunt usu vitiorum contrario. Unde cum peccato intemperantiæ componitur virtus acquisita justitiæ, quia per illud non expellitur, ut potè cui non contrariatur: & cum actu poenitentia componitur defectus justitiæ, quia per illum non producit. Secundò, quia virtutum acquisitarum est facilitare voluntatem ad actus; post poenitentiam autem experimur

Tóm. 2.

non redire pristinam facilitatem, imò habere majorem difficultatem ad virtutum actus propter habitus vitiosos relictos; ergo &c.

Difficultas 2. Utrum, & quæ dignitas per poenitentiam recuperetur? Advertes, sermonem posse esse, aut de dignitate apud Deum, eaque vel primariâ, qualis est filiatio Dei, vel secundariâ, qualis est innocentia, & virginitatis dignitas: aut de dignitate apud Ecclesiam, qualis est dignitas sacerdotalis. Hoc posito.

Dico 1. Dignitas primaria, & principalis apud Deum semper per poenitentiam restituitur: non ita verò dignitas secundaria, & minus principalis. Ita *P. Tanner. tomo 4. d. 6. quest. 5. dub. 1. num. 10. P. Soar. Lusit. tract. 1. de Poenit. d. 4. num. 441. & alii.* Probat 1. pars, quia per poenitentiam semper restituitur gratia amissa, ut supra diximus; sed hæc, sive in hac constituitur primaria, & principalis dignitas, nempe filiatio Divina; ergo &c. Prob. 2. pars, quia virginitas, & innocentia semel amissæ non restituntur, prout supra diximus, & statim dicemus; sed in his consistit dignitas secundaria apud Deum; ergo &c.

Dices: Ideo restituitur dignitas primaria, sive gratia amissa, quia aliàs puniretur Beatus poenâ aternâ, quæ repugnat cum gloria; sed eadem aternâ poenâ sequitur ex privatione dignitatis secundariæ; & tamen hæc non restituitur; ergo neque illa restituetur. Respondeo primò negando majorem, ut patet ex supra dictis d. 1. à num. 36. alias eni rationes assignavimus supra loco cit. à num. 441. & d. 2. à num. 21.

Respondeo secundò, data majori, negando minorem; dignitas enim secundaria virginitatis, & innocentia dupliciter destruitur: Primò ut effectus peccati logicè necessarius; implicat enim committi luxuriam, & tamen perseverare virginitatem, & innocentiam. Secundò potest etiam dici tolli in poenam peccati: post poenitentiam igitur adhuc quidem manet deperdita ea dignitas secundaria, ut effectus necessarius peccati, non tamen ut poenâ illius: at verò si dignitas illa primaria gratia in æternum deperderetur, solum deperderetur in poenam peccati, cum non sit ejus effectus logicè necessarius; ac proinde Beatus propter peccatum jam ei remissum puniretur poenâ aternâ. Accedit, dignitatem secundariam facile in cælo compensari, nempe majori gaudio, quod erit in cælo coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente: non ita verò amissio gratiæ, & gloriæ, cum hæc non sit compensabilis.

Dico 2. Dignitas apud Ecclesiam per poenitentiam restituitur. Probat 1. quia dignitas Ecclesiastica deperditur, quatenus homo se reddit indignum ad ea, quæ tali dignitati competunt, exercenda; sed homo, licet per peccatum fiat indignus, iterum per poenitentiam dignus efficitur; ergo per poenitentiam ei restituitur talis dignitas. Confirmatur ex cap. *Domino*: ibi: *dist. 50. Illos ad pristinum gradum redire Canones præcipiunt, quos poenitentia præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. Et cap. Quia sanctitas tua. eadem dist. ibi: Post dignam satisfactionem, credimus hominem posse redire ad suum honorem. Et cap. 21. eadem dist. ibi: Contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis obligantur; ita ut cum eos poenitentia correxerit, gradum suum, dignitatemque, recipiant;* ergo &c.

Advertes tamen prædictam doctrinam in quinque casibus limitari, in quibus dignitas amissa non recuperatur. Primò, quando non præcessit digna satisfactio, & confessio, ut habetur. *Cap. Domino,*

V V V

et cap. quia Sanctitas tua cit. Secundo, quando poenitentia fit negligentem, ut habetur cap. Si quis Diaconus dist. 50. ibi: Cum in aliquibus, nec copunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec jejuniis, vel lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere, si ad pristinos honores redirent, cum quanta negligentia permanerent. Tertio, quando incurritur irregularitas, ut habetur cap. Si quis viduam, dist. 50. ibi: Si quis viduam, vel ab alio relictam duxerit, non admittatur ad Clericatum; sicut nec ille, qui homicidium, aut factum, aut precepta, aut consilio, aut defensione post Baptismum conscius fuerit. Advertes tamen, particulam aut defensione intelligendam esse, quando homicidium non fuerit medium necessarium ad defensionem naturalem, ut habetur in jure novo. Clem. unica de Homicidio.

144. Advertes deinde, quod dicitur de irregularitate, etiam extendendum esse ad censuras, & ad quodvis aliud impedimentum canonicum; siquidem hoc non tollitur per poenitentiam, sed aut per peculiarem absolutionem, aut per dispensationem, quæ quoad Ecclesiam non confertur, non recuperatur, neque restituitur dignitas antiqua.

145. Quarto, quando ex peccato subsecutum est scandalum, ut habetur in cap. De his verò 11. dist. 50. ibi: Hi, qui deprehensi, aut capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, & ceteris hujusmodi criminibus, à proprio gradu decedant, quia scandalum est populo Dei tales personas super se positas habere. Quinto, quando per peccatum, aut ejus sententiam ablatum est dominium talis dignitatis, nempe beneficii Ecclesiastici; tunc enim per poenitentiam non restituitur, sed illa privatus est quis, sicut quando privatur pecuniis, & fructu beneficii, quæ delinquenti amplius non restituntur, etiam si poenitentiam agat.

146. Hinc colliges primò, quando Innocent. I. Epist. 6. in Canon. Apud Nicaeam. dist. 50. dicit ibi: Apud Nicaeam constituti Canones, poenitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludunt, &c. Et cap. Hi, qui altari eadem dist. ibi: Hi, qui altari deseruiunt, si subito in carnis fragilitatem corruerint, & Domino respiciente dignè poenituerint, officiorum suorum si loca recipiant, ut non possint ad altiora officia ulterius promoveri: prædictos textus intelligendos esse de iis, quibus publica poenitentia fuit imposta, undè subsecutum est scandalum, ut ibidem interpretatus est Gratian. & ex D. Aug. epist. 50. ad Bonifacium relato in cap. 25. dist. 50. tradit P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 5. dub. 1. n. 13. & P. Soar. Lusit. cit. n. 445.

147. Secundo colliges cum D. Thom. 3. p. q. 89. art. 3. & P. Tanner. cit. n. 12. Qui de prædictis peccatis abscondè à se commisis, occultè sacerdoti confitentur, si se per jejunia, & elemosinas, vigiliasq., & orationes sacras purgare curaverint, his etiam gradu proprio servato, spem veniæ de Misericordia Dei promittendam esse: ubi Angelicus Doctor tradit per hujusmodi peccata occultè commissa non privari hominem, neque impediri exercitio, aut susceptione dignitatis Ecclesiasticæ. Et hoc probat ex cap. quæsitum de Tempor. ordinandor. ibi: Si proposita crimina ordine judicio comprobata, vel alias notoria non fuerint (præter reos homicidii) per poenitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri non possunt.

148. Difficultas 3. Quodnam sit majus beneficium Innocentia, per quam gratia conservatur: an poenitentia, per quam amissa recuperatur? Hanc difficultatem attingit D. Thom. 3. p. q. 88. art. 2. ad 3. & 2. 2. q. 106. art. 2. & neutro quidem loco simpliciter, sed sub distinctione respondet, quatenus dicit dupliciter posse beneficium considerari: Primò

absolutè, & secundum se: Secundò respectivè, seu cum proportione ad talem personam. Primo modo illud est majus beneficium, in quo majus donum confertur; & sic Innocentia, cæteris paribus, excedit Poenitentiam; siquidem includit quandam dignitatem moralem, quam non includit Poenitentia, nempe non offendisse Deum, quod est maximæ æstimationis dignum. Secundo modo illud dicitur majus beneficium, quod fit homini magis indigno respectu dantis; & sic excedit beneficium remissionis peccati, cæteris paribus, quia peccator de se erat dignus odio, & penâ.

149. Quæ autem ex his conditionibus majoris sit ponderis, ut propter illam aliquod ex his beneficiis dicatur majus, non satis expressè declarat D. Thom. indicat tamen simpliciter beneficium remissionis peccati esse majus, quatenus ex parte recipientis, propter ejus indignitatem, major gratia est donum remissionis peccati. Ita tenent cum eo Caiet. ibid. & latissimè 2. 2. q. 106. art. 2. Sor. in 2. dist. 16. q. 1. art. 2. Petr. Sor. lect. 7. de Penit. Richard. in 4. dist. 22. art. 1. q. 5. Medin. C. de Penit. q. 9. P. Valent. 3. p. q. 5. punct. 2. & ut apparet P. Henric. lib. 4. cap. 32. num. 5. & ut veriorum P. Tanner. tom. 4. d. 6. quæst. 5. dub. 3. art. 76. P. Præposit. 3. p. q. 88. dub. 3. num. 17.

150. Non placent, quia licet eorum fundamentum verum sit, cæteris paribus; hic tamen cætera non sunt paria; siquidem donum Innocentiæ aliquod bonum, & dignitatem includit, nempe Deum non offendisse, quæ non datur per beneficium Poenitentia; atqui ipsi non probant, quod ille excessus ex parte recipientis remissionem peccati ita superet excessum ipsius doni Innocentiæ secundum se, ut constituat majus beneficium simpliciter; ergo &c.

151. Melius igitur putant, excessum illius doni Innocentiæ majoris æstimationis esse, sicque simpliciter esse majus beneficium D. Bonav. in 4. dist. 22. a. 1. q. 2. Scot. ibid. a. 3. Gabr. a. 3. Dionys. Cisterciens. dist. 23. q. ult. P. Soar. Lusit. tr. 1. de Penit. d. 4. n. 434. qui malè pro contraria sententiâ citat P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 13. sect. 3. ut ex dicendis constabit. Prædicti tamen Authores non satis ostendunt excessum illum ex parte doni esse simpliciter majus, quàm aliud ex parte recipientis; constat enim quantitatem proportionalem interdum magis æstimari, quàm absolutam: sic enim vetula illa Matth. 18. duo minuta offerens, dicitur plus cæteris obtulisse. Undè.

152. Advertendum est, secundum præsentem statum (ut omittamus statum justitiæ originalis) oportere distinguere varios Innocentiæ gradus. Primus, si homo perveniens ad usum rationis conservetur sine novo peccato mortali, non tamen accipiat remissionem peccati originalis, nec veram justitiam. Secundus, quem habet homo post acceptam gratiam Baptismalem, quandiu mortaliter non peccat: quod potest contingere, aut post breve tempus, aut post diuturnum. Et hic gradus Innocentiæ est magis proprius. Tertius, quo homo justificatus, antequam peccet mortaliter, ita conservatur usque ad finem vite. Hoc positò.

153. Dico 1. Beneficium Innocentiæ sumptè in illo primo gradu non est majus, quàm beneficium remissionis peccati. Probat, quia cum Innocentia in eo gradu non possit reputari, neque dici Innocentia simpliciter, sed tantum secundum quid; siquidem Innocentia vera, & simpliciter non est, nisi ubi est justitia apud Deum, etiam beneficium illud non est tale simpliciter, sed tantum secundum quid;

quid; atqui remissio peccati est beneficium simpliciter; beneficium autem simpliciter majus est beneficio secundum quid; ergo &c.

154. Dico 2. Licet Deus conferret beneficium Innocentia in eo primo gradu alicui homini per longum tempus per specialia auxilia, adhuc non esset majus beneficium si compararetur cum beneficio remissionis peccati originalis, & sanctificationis. Ita P. Soar. tom. 4. in 3. part. d. 13. sect. 3. n. 14. Probatur, quia ex parte recipientis utrumque beneficium confertur æquè indigno propter originale peccatum, & ex parte doni multum excedit Innocentia, quæ veram sanctitatem, & amicitiam Dei includit; ergo &c. Undè addit P. Soar. cit. si unus homo post multa peccata actualia postea justificetur: alius verò præservetur diu à multis mortalibus, nunquam verò justificetur, aut remissionem peccati originalis obtineat; longè majus beneficium conferri priori: tum ex parte doni: tum ex parte recipientis, quia indigniori datur.

155. Dico 3. Beneficium Innocentia semper in illo secundo gradu, eò est majus, quò tempus illud Innocentia majus est. Ita P. Soar. cit. n. 15. Probatur, quò perseverantia illa est gratia beneficium; ergo hoc eò magis crevit, quò perseverantia est diuturnior. Undè advertit P. Soar. si hoc donum conferatur cum dono justificationis post commissum peccatum mortale, debere omnes has circumstantias expendi, ut rectè fiat comparatio, & appareat qualenam beneficium sit majus.

156. Hinc fit, si donum justificationis datum homini habenti solum peccatum originale, absque speciali providentia, & manutentione Dei conferatur cum simili dono dato homini habenti peccatum originale, & mortale actuale; quia indigniori datur, & quia plus ei remittitur: dummodò tamen uterque æqualem gratiam recipiat; nam si in hoc non sit æqualitas, semper est absolute majus beneficium, quando major gratia sanctificans confertur, licet in modo, aut in aliis respectibus non sit æqualitas; siquidem excessus in ipsa sanctitate, & amicitia Dei, est simpliciter majoris estimationis. Undè quoties quis peccat post majorem gratiam sanctificationis acceptam, sive illam acceperit post, sive ante peccatum mortale commissum, simpliciter est magis ingratus Deo ex parte accepti beneficii; consequenterque ex hoc capite gravius peccat, ut tradit P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 13. sect. 3. n. 15.

157. Dico 4. Beneficium Innocentia in illo tertio gradu sumptæ, cæteris paribus, est majus beneficium Pœnitentia. Ita P. Soar. proxime n. 16. D. Bonav. Scot. Gabr. Dionys. Cisterciens. P. Soar. Lusit. cit. supra num. 151. & alii. Dixi cæteris paribus, quia suppono comparationem fieri inter hominem justificatum, qui usque ad finem vitæ absque peccato gratiam, & Innocentiam conservavit, & hominem, qui post multa peccata pervenit ad finem vitæ, & cum æquali gratia decessit: nam si quis ad finem vitæ perveniat cum majori sanctitate, & acceptus ad majorem gloriam, quam tandem consequatur, licet peccando, & per pœnitentiam resurgendo, simpliciter majus beneficium recipiat, quàm qui cum vita innocente, & minori gratia gloriam consequitur, ut patet ex supra dictis, & ex probationibus Conclusionis patebit: Undè:

158. Probatur primò ex D. Cyprian. Epist. 3. ibi: Primum felicitatis genus est non delinquere: secundum verò delicta cognoscere, & retractare. Et Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sacram. d. 14. cap. 4. ibi: Si magnum est aliquando surgere, majus certe est nun-

quam cecidisse: Si bonum est sanatum esse, melius est nunquam fuisse corruptum. Ex quibus satis constat, cæteris paribus, Innocentiam conservare esse majus beneficium, quàm illam per Pœnitentiam recuperare.

159. Probatur secundo rationibus: Prima, quia Innocentia prout sic considerata continet magnam dignitatem moralem sanctitatis, & virtute includit, modoque excellentiori, quidquid boni est in remissione peccati, nempe liberationem à peccato per præsertionem, quod est maximum beneficium gratia; siquidem modus iste liberandi à peccato per præsertionem est excellentior, & ex majori amore; ergo prout sic majus beneficium est simpliciter Innocentia, quàm Pœnitentia.

160. Secunda ratio est, quia beneficium illud, pro quo debemus Deo majores gratias agere, est majus; sed homo non minores, imò majores debet Deo gratias agere propter liberationem à peccato per præsertionem, sive conservationem Innocentia, quàm propter ejus remissionem per Pœnitentiam, ut lenit, & docuit D. Aug. lib. 12. Confession. cap. 11. & lib. 50. Homil. hom. 23. cap. 6. apud P. Soar. cit. ergo majus beneficium est Innocentiam conservare, quàm illam restituere.

161. Tertia ratio est, quia facta comparatione cum Scot. cit. inter Beatissimam Virginem, & Mariam Magdalenam: aut cum P. Soar. cit. inter Beatissimam Virginem, & se ipsam, fingendo quod per pœnitentiam tandem perveniret ad æqualem gradum gratia, quem nunc habet: sine dubio majus beneficium ei contulit Deus perducendo illam ad tantam gratiam, & gloriam per Innocentiam, & præsertionem ab omni peccato; quàm si permittendo lapsum, & illum reparando per Pœnitentiam, ad eundem gradum gratia, & gloria illam perduceret; alioqui non esset majus beneficium illam præservare ab omni peccato actuale, ut tanquam definitum de fide docet P. Soar. tom. 2. in 3. part. d. 4. sect. 4. §. Dicendum est, imò & à peccato originali ut cum multis docet idem P. Soar. cit. proxime d. 3. sect. 5. §. Dicendum nihilominus, cum tamen qui id sentiunt in hoc maxime fundentur; ergo &c.

162. Dicent, aliquos negare Beatissimam Virginem fuisse præsertatam à peccato originali; & tamen non ideò negant fuisse ei concessum majus beneficium; ergo &c. Respondeo primò negando minorem; si enim concedunt præsertionem hanc fuisse majus beneficium, & id ei negant, consequenter etiam negant non fuisse ei majus beneficium concessum; dicuntque propter alias causas non oportuisse tantum beneficium illi fieri. Respondeo secundo, data majori, & minori, negando consequentiam, tales enim sequuntur opinionem contrariam asserentem majus beneficium esse Pœnitentiam, quàm Innocentiam, prout supra diximus tenere D. Thom. & alios cit. n. 148. & 149.

163. Quarta ratio est, quia quos Deus magis dilexit, maximeque honorare voluit, illis hoc donum perseverantia in gratia, & præsertionis à peccato concessit; sed non videtur dicendum, quod Deus illis, quos in majore estimatione habuit, minoris estimationis beneficium concesserit; ergo &c.

164. Objicies 1. Ex illo ad Rom. 5. 8. ibi: Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Ubi juxta mentem D. Pauli circumstantia illa indignitatis videtur esse maximæ estimationis; ac proinde majus nobis beneficium con-

conferri in remissione peccati; ergo &c. Respondeo Apostolum loco cit. solum velle nobis commendare beneficium remissionis peccati, quod non negamus fuisse magnum, imò & maximum, nullâ factâ comparatione ad præsertionem à peccato, quam diximus esse maximum beneficium; alioqui hoc non fieret beatissimæ Virgini, ut diximus.

165. **Objicies 2.** Conservatio gratiæ confertur digno; remissio autem peccati confertur indigno; sed majus beneficium est, quod confertur indigno, quam quod confertur digno; sic enim plus, ac majoris amoris videtur esse, etiam in humanis, dare aureum inimico indigenti, quam amico, aut benefactori non indigenti donare decem aureos; ergo &c. Respondeo argumentum ad plurimum probare, Pœnitentiam esse majus beneficium secundum quid: non ita tamen simpliciter; simpliciter enim, cæteris paribus, præstantius, & æstimabilius est Deum nunquam offendisse, ut supra diximus.

166. **Objicies 3.** Justificatio impij est maximum opus Dei, ut constat ex illo Psal. 144. 8. *Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors: suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et in collecta Dominicæ X. post Pentecost. dicitur: *Deus, qui Omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Et D. Aug. tr. 72. in Joan. ad illa verba: *Et majora horum faciet: Que opera,* inquit, *nisi ut ex impio justus fiat?* Sed maximum opus Dei in hos, est etiam in nos maximum beneficium; ergo &c. Respondeo argumentum solum probare ex autoritatibus adductis, remissionem peccatorum esse maximum Dei beneficium secundum quid, & nullâ factâ comparatione ad innocentiam conservatam, ut diximus.

167. **Objicies 4.** Peccator accipit duplex beneficium, nempe gratiam, & remissionem peccati; innocens verò unum tantum, nempe gratiam; ergo majus beneficium est, justum fieri per pœnitentiam, quam per innocentiam. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; nam etiam innocens accipit duplex beneficium, nempe gratiam, & præsertionem à peccato, in quo valde excedit beneficium illud remissionis peccati.

SECTIO VIII.

Utrum tota gratia per peccatum amissa statim per pœnitentiam restituatur?

168. **A**DVERTES primò, nómine gratiæ in præfenti intelligi, non solum qualitatem illam sanctificantem, quæ est in essentia animæ, sed etiam charitatem, & reliquas virtutes infusas, quæ per se comitantur ipsam gratiam, tanquam proprietates suam naturam, & ab illa dependent. Advertes secundò, hanc gratiam, sive aliquem ejus gradum dupliciter obtineri posse ante lapsum peccati, prout supra diximus tract. 2. de Merito: Primò gratis, & absque proprio merito de condigno, ut habetur omnis gratia prima, quæ homini datur, quoties de novo justificatur: item omnis gratia quæ homini datur ex opere operato: Secundò ex proprio merito de condigno, qualis est gratia, quæ datur homini ex suis meritis, ut datur omne augmentum gratiæ, quod homo justus per propria opera in Deo, & ex Deo facta, meretur.

169. **A**DVERTES tertio, gratiam sive ex meritis, sive gratis, & sine meritis datam, sicut & virtutes, quæ illam comitantur, per peccatum amissas, iterum per pœnitentiam recuperari, ut constat ex hæcenus dictis: solum igitur in præfenti esse questionem: Utrum statim, aut quando per subsequentem pœnitentiam restituantur, & recuperentur? Advertes quartò, hanc questionem satis decisam, & discussam esse supra tract. 2. d. 3. à num. 12. & latius à num. 120. ubi quæsitum à nobis fuit, quando nam conferatur homini justo augmentum gratiæ suis meritis de novo respondens? Nam eadem est difficultas de prima ejus collatione, atque de ejus reviviscentiâ, sive reparatione per pœnitentiam. Quia tamen hic speciale etiam locum habet, ne jam dicta repetamus, aliqua breviter perstringemus. Sit igitur:

170. **Difficultas 1.** Utrum statim; aut quando gratia per peccatum amissa, per pœnitentiam recuperetur? Prima sententia docet, hujusmodi gratiam non statim restitui, ac homo per pœnitentiam resurgit. Ita D. Thom. 3. p. q. 89. art. 2. quatenus docet hominem interdum ad minorem, interdum ad æqualem, & interdum ad majorem gratiam, quam antea habebat, resurgere pro ratione dispositionis, quæ resurgit à peccato. Unde quoties dispositio est major, sive intensior quam gratiâ, à qua homo cecidit, sentit D. Thom. resurgere hominem ad majorem gratiam, quando autem dispositio est minor, aut æqualis, nihil illius gratiæ præcedentis statim restitui. Quod id planè sentiat D. Thom.

171. **Patet,** quia si aliquis gratiæ propter merita præcedentia statim daretur habenti dispositionem minorem, aut æqualem gratiæ deperditæ, semper resurgeret ad majorem gratiam; siquidem ratione solius contritionis solum acciperet gratiam minorem, aut æqualem præcedenti, cum ei supponatur æqualis, aut minor; ergo si ultra acciperet aliquam gratiam propter merita præcedentia, jam resurgeret in majori gratia, quam antea habebat; sed id negat D. Thom. ergo istæ gratiæ præcedentis gratiæ tunc statim restitui.

172. **Dicent,** non esse necessarium, ut gratia respondens contritioni sit illi æqualis æqualitate rei ad rem, sed tantum proportionis. Sed contra primò, quia non omnes id admittunt, & incertum est. Secundò, quia illo admissò, adhuc potest urgeri ratio, nam pari ratione accidere posset, ut qui cum minori dispositione justificatur, ad æqualem, vel aliquando ad majorem etiam gratiam resurgat; siquidem ratione dispositionis recipiet etiam gratiâ ei proportionatam, & si ultra illam recipit aliquam propter merita præcedentia, jam resurgit in majori gratia, ut consideranti patebit; hoc autem negat D. Thom. ergo &c. Et ita videtur intellexisse D. Thom. licet subobscurè Cajet. *ibid.* art. 5. *Capitol. in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 1. Conclus. 2. Palud. quæst. 1. num. 28.* & eandem opinionem indicant *Alens. 4. p. quæst. 12. membr. 4. art. 5. D. Bonav. in 4. dist. 14. 2. p. art. 2. quæst. 1. apud P. Sord. d. 2. de Reviviscent. sect. 3. num. 2.*

173. **Fundantur,** quia gratia datur homini secundum mensuram dispositionis ejus; siquidem Deus in infundenda gratia servat connaturalem rerum proportionem; agens autem in naturalibus inducit formam juxta passivam dispositionem; sed qui resurgit à peccato per contritionem minus, aut æqualiter intensam, non se disponit ad majorem gratiam recipendam, etiam si prius illam meruerit; ergo non statim illam recipit. Respondeo ad gratiam habitalem recipendam non requiri aliquam dispositi-

dispositionem physicam, cum sit veluti prima forma in eo ordine, quæ nullam aliam requirit in suo subjecto proximo, nempe in anima, ut patet in infantibus, quibus infunditur gratia sine ulla dispositione, cum tamen illa infusio, quatenus est quædam actio realis, & physica, non fiat modo præternaturali talis formæ.

174. Unde solum in adultis requiritur dispositio moralis secundum divinam ordinationem, quæ tamen non semper est eadem, cum alia cum Sacramento sufficiat, nempe attritio, & alia extra illud requiratur: alia exigatur in eo qui mortaliter, & alia in eo, qui non sic peccavit; ac proinde in hac dispositione non est necesse exactè observari illam regulam physicam, quod intensio habitus, aut formæ nunquam excedat intensiorem actus, vel dispositionis; siquidem in dispositione morali plus debet attendi moralis valor, aliæque conditiones morales actus, quam sola physica intensio.

175. Patet, quia si homo contritus ut quatuor justificetur per Sacramentum, verisimile est, intensiorem gratiam recipere, quam ut quatuor; siquidem si absque Sacramento justificaretur, fortè illam ut quatuor reciperet æqualem suæ contritioni; ergo cum Sacramento majorem accipiet; sed non propter dispositionem physicè intensiorem, ut patet; ergo propter majorem valorem moralem habitum ex conjunctione cum Sacramento.

176. Hanc sententiam satis rejecimus supra à num. 69. & tract. 2. d. 3. à num. 124. & iterum illam rejecimus: Primò, quia sequeretur, licet homo per actus remissos mereatur gratiæ augmentum, non statim illud obtinere, donec sufficienter ad illud obtinendum se disponat per actum ferventiorem; hoc autem negavimus tract. 2. d. 3. à num. 124. Secundò rejicitur, quia sequeretur, si homo durante vita nunquam se disponat per actum intensiorem, nunquam recepturum, neque in hac vita, neque in futura augmentum gratiæ correspondens tam actibus remissis, quam meritis mortificatis: non in hac vita, quia supponimus, nunquam elicuisse actum intensiorem: non in futura, quia cum jam sit extra viam non potest mereri, ut alibi diximus tr. 2. d. 2. hoc autem dicere videtur absurdum; ergo &c.

177. Totum hoc videtur concedere D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. & 3. part. quæst. 89. art. 5. ad 3. apud P. Soar. cit. d. 2. de Reviviscen. sect. 3. num. 3. & 4. dicit enim loco ult. cit. posse hujusmodi poenitentem consequi minorem gloriam, quam antea meruerat; ergo & minorem gratiam finalem; ergo ex sententia D. Thom. non plus gratiæ restituitur in fine vitæ, quam in decursu vitæ reparatur; sed in decursu vitæ potest aliqua gratia non reparari, quia potest homo actum intensiorem non elicere; ergo ex sententia D. Thom. poterit homo mereri gratiæ, quam neque in hac vita, neque in alia possit recuperare. Quod tamè videtur repugnare cum ejus doctrina a. 5. cit. in corp. siquidem ibi significat, omnia merita mortificata, remisso peccato, per poenitentiam vivificari: in solutione autem ad 3. docet, hominem aliquando non consequi totam gloriam essentialè, quam ante peccatum meruerat, etiamsi poenitentiam illius egerit; sed reverà difficillimum est intelligere, & repugnare videtur asserere, quod merita reviviscant, & quod perpetuò priventur præmio sibi debito; ergo &c.

178. Tertio rejicitur, quia sequeretur meritum actus remissi ex se, & prout in ipso actu fundatur habere se post subsequenter gratiam ac si esset meritum mortificatum eo modo, quo merita præcedentia mortificantur per subsequens peccatum; sed hoc

videtur satis absurdum; ergo &c. Probatur sequentia, quia meritum esse mortificatum per subsequens peccatum, nihil aliud est, quam esse inefficax respectu talis personæ ad perducendam eam in consecutionem sui præmii ob impedimentum in ea existens; dicitur autem vivificatum, & efficax, quando tale impedimentum, sive peccatum per subsequentem poenitentiam tollitur; sed totum hoc convenit merito actus remissi juxta prædictam sententiam, quando homo non elicerit actum intensiorem; & solum est differentia, quod hoc impedimentum ex parte personæ non sit peccatum, sed sola carentia necessariæ dispositionis, quæ quidem differentia solum videtur materialis, aut secundum magis, & minus; ergo &c.

179. Secunda sententia tenet, gratiam debitam prioribus meritis non restitui homini statim in ipsa justificatione, neque etiam in decursu totius vitæ, quantumcunque per ferventes actus, & multos se disponat. Ita Scot. dist. 22. art. 2. Almain. ibid. q. 1. Durand. in 3. dist. 31. quæst. 2. Marsil. in 4. quæst. 11. art. 1. An verò restituitur in vita futura? Non satis distinctè declarant prædicti Authores: Solet tamen attribui Scot. cit. pars negativa, quatenus loco cit. distinguit duplicem gloriam quasi partialem in ipso præmio essentiali: alteram correspondentem gratiæ infusæ in ultima justificatione, vel postea etiam acquisitæ: alteram correspondentem meritis priùs mortificatis, & postea vivificatis; sicque videtur sentire merita mortificata reviviscere quidem ad totam gloriam, non tamen ad totam gratiam recuperandam, neque in alia vita. In hoc tamen sensu jam illius sententiam rejecimus supra à num. 77.

180. Verumtamen P. Soar. d. 2. de Reviviscen. sect. 3. num. 11. dicit, Scotum nunquam id negasse, neque potuisse coherenter negare. Patet, quia ex illius sententia totum præmium essentialè correspondens præcedentibus meritis, quæ fuerant mortificata, datur homini in patria, si in gratiâ decedat; siquidem in hoc sensu docet, omnia merita reviviscere ad quamecunque justificationem peccatoris; sed præmium essentialè in patria semper supponit gratiam consummatam, & proportionatam tali præmio; ergo necesse est, ut illa gratia, si in hac vita comparata non est, saltem in ingressu patriæ restituitur, ut ex dictis supra à num. 77. constare potest. Unde quando Scotus distinguit gloriam respondentem meritis, vel gratiæ, loquitur (inquit P. Soar. cit.) pro tempore vitæ præsentis, in quo dicit, aliquem gradum gloriæ deberi ratione gratiæ inherens homini, aliquem verò ratione meritorum tantum; sicque juxta hanc sententiam, tota gratia debita meritis præcedentibus danda est in vita futura; non tamen datur statim in hac vita.

181. Fundatur, quia nulla ratio cogit concedere hanc restitutionem gratiæ statim faciendam, sed faciendam aut in fine vitæ, aut post mortem ad ingressum gloriæ; nam in hoc sensu bene explicantur Scriptura, & Concilia; siquidem Trid. sess. 6. can. 22. dum explicat valorem nostrorum meritorum dicit, *Mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen homo in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum*; sed ex his verbis non colligitur, restitutionem gratiæ statim esse faciendam; ergo cum restitutio hæc præsertim sumatur ex autoritate Trid. & ex illo non habeamus necessariò statim fieri, sufficit, si fiat modo assignato.

182. Confirmatur, quia Trid. solum concedit restitutionem gratiæ, prout hæc est necessaria ad augmentum gloriæ,

gloriz; sed augmentum gloriæ, non in hac vita, sed in futura tantum confertur; ergo solum pro tunc tenemur fateri augmentum, & restitutionem totius gratiæ meritis præcedentibus correspondentis.

183. Respondeo fundamentum, si valeret, etiam probare, iustum bene operantem non statim accipere augmentum gratiæ, sed solum aut in fine vitæ, aut ad ingressum gloriæ; siquidem ex verbis Trid. etiam non colligitur, hoc augmentum statim esse conferendum; ac proinde si conferatur erit novum præmium, exigetque novum meritum, aut majorem valorem in merito de condigno ipsius; sed ferè omnes fatentur augmentum gratiæ correspondens meritis iustorum statim conferri, ut supra ostendimus *tract. 2. d. 3. à num. 123.* ergo idem dicendum est de restitutione gratiæ debitæ meritis præcedentibus, quæ solum non vigeat, quia impediatur per peccatum; illo autem per penitentiam sublato, nullum superest impedimentum retardans ipsius restitutionem.

184. Ad confirmationem ex eodem Trid. adductam dicimus, non facere contra nos, imò ex illo contrarium probari; siquidem Trid. asserit, necessariam esse gratiam propter gloriam, ad quam, tanquam ad finem ultimum, ordinatur omnium iustorum meritum; sed acceptatio ad gloriam non potest esse sine acceptatione ad gratiam, quam necessariò præsupponit tanquam proprietatem suam naturam; habet enim gratia in ordine supernaturali rationem naturæ, cui omnia supernaturalia, tanquam ejus proprietates debentur; ergo in augmento gloriæ postea concedendo includitur necessitas augmenti gratiæ jam prius concessæ. Unde

185. Hæc sententia, quam jam alibi rejecimus, iterum à nobis rejicitur: Primò, quia sine fundamento negat restitutionem præmii debiti bene operantibus, & se ad illud disponentibus. Secundò, quia ad receptionem gratiæ restituendæ non est necessaria aliqua nova dispositio; siquidem aliquando sine illa, & sublato tantum impedimento, nempe peccato, concedunt ipsam gratiam recipere, nempe in patria, & post mortem; ergo si tunc, cur non statim, si statim auferatur impedimentum? Tertiò, quia ratio iustitiæ postulat, ut præmium debitum statim solvatur si fieri potest, & quod merces non differatur, quando operans illius est capax; sed Deus est iustissimus Judex, potensque statim solvere præmium debitum; & homo quoties se disponit ad gratiam, est in statu capaci ad recipiendum præmium, & mercedem sibi debitam, non solum propter præsens meritum, sed etiam sibi debitam propter merita præcedentia; ergo &c.

186. Quartò, quia restitutio gratiæ, ut ipsi Adversarii fatentur, solum conceditur propter acceptationem ad gloriam; sed acceptatio ad gloriam est effectus formalis gratiæ inherens, & dantis jus ad ipsam gloriam; ergo cum homo post subsequentem penitentiam, & peccati remissionem, statim maneat acceptus ad totam gloriam meritis præcedentibus debitam, manet etiam acceptus ad totam gratiam, statim recipiendam toti illi gloriæ correspondentem.

187. Dicent, hujusmodi acceptationem ad gloriam non fieri formaliter per gratiam intrinsicè inherentem, sed per extrinsecam voluntatem Dei. Sed contra, quia acceptatio in hoc loco non sumitur sub illa significatione extrinseca, sed quatenus acceptum recurrit cum proportionato, & intrinsicè apto ad gloriam; hic autem effectus est proprius

gratiæ intrinsicè inherens, non verò denominationis illius extrinseca; ergo licet Deus de potentia absoluta possit acceptare hominem ad gloriam sola acceptatione extrinseca, & sine gratia intrinsicè inherente, hoc est, quin illum proportionatum efficiat, de potentia ordinaria id non efficit, ut est communis sententia, & nos alibi diximus.

Patet, quia sicut Deus amando, facit bonum, & amabile, quod amat, ita acceptando ad gloriam, facit aptum, & acceptabile, quod acceptat; siquidem voluntas Dei efficax non stat sine effectu, quem decernit, ergo secundum legem ordinariam, quoties Deus acceptat hominem ad majorem gloriam, sive ad ejus augmentum, statim facit illum proportionatum ad tale augmentum; sed proportionatur per augmentum gratiæ; ergo si homo resurgens à peccato acceptatur ad totam gloriam, quam antea meruerat per opera præcedentia, & modò meretur per præsentem dispositionem, necessariò etiam acceptatur, & proportionatur ad illam per similem gratiam, tam præcedentibus operibus, quam præsentibus dispositionibus correspondentem.

188. Quintò rejicitur, quia gratia habita ex Sacramentis, & per peccatum amissa, statim per penitentiam restituitur, ut supra diximus à *num. 107.* ergo à fortiori restituetur gratia habita ex propriis meritis; siquidem cum gratia virtute Sacramentorum non detur ex propriis, sed Christi meritis, minus jus habet homo ad hanc, quam ad illam, quam habuit ex propriis meritis; ac proinde si illa per penitentiam restituitur, à fortiori & hæc debet restitui statim ac homo resurgit.

189. Probatur primum antecedens, quod solum indiget probatione: tum ex dictis loco proximè citato: tum etiam, quia alioqui homo tota vita privaretur fructu illius Sacramenti, quod ordinatur ad danda auxilia, ut homo possit sanctè, & dignè exercere officium sacerdotale, quod præstat gratia accepta in Sacramento Ordinis: aut profiteri fidem, quod præstat gratia accepta in Sacramento Confirmationis, sicque &c. alii; siquidem cum hæc Sacramenta non possint reiterari, si gratia ex illis accepta, & semel per peccatum amissa, non statim per penitentiam recuperatur, frustra abuntur in hac vita suo effectu; restitutio enim ad finem vitæ, & minus post mortem, nihil ad eum finem conducit; ergo debet statim fieri hujus gratiæ restitutio; ergo etiam restitutio gratiæ acceptæ propter merita.

SECTIO IX.

Proponitur, & defenditur verior Sententia.

190. **T**ERTIA verior, & communior sententia affirmat, totam gratiam debitam meritis mortificatis statim restitui in ipsomet instanti justificationis, in quodalia merita vivificantur, sive dispositio ad illam justificationem sit intensa, sive remissa, & sive sit contritio, sive attritio cum Sacramento. Ita *Major. dist. 22. q. 1. Gabr. dist. 14. q. 3. art. 3. Ocham. q. 9. dub. 6. Medin. C. de Penit. q. 8. P. Henri. quodlib. 5. q. 24.* quos citat, & sequitur *P. Soar. d. 2. de Reviviscet. merit. sect. 3. n. 12. & 13.* & alii. Probatur primò ex fundamentis, quibus supra rejecimus duas præcedentes sententias; hujusmodi enim fundamenta satis probant nostram præsentem sententiam, ut consideranti patebit. Secundò ex *supra dictis*

dictis *traâ. 2. d. 3. à num. 12. & à n. 124.* fundamenta enim, quibus ibi probavimus, augmentum gratiæ non differri, sed statim tribui homini iusto in eodem instanti, in quo elicit actum meritorium sive intensum, sive remissum, eodem modo probant de restitutione gratiæ, & ejus augmento conferendo statim, ac homo per poenitentiam resurgit, ut consideranti patebit. Tertio etiam ex supra dictis à *num. 40.* quibus enim ibi probavimus, merita mortificata iterum per poenitentiam vivificari ad totum præmium essentiale sibi antea debitum, satis etiam probant vivificari ad illud statim conferendum quoad gratiam, & ejus augmentum.

192. Probatur quartò, quia merita mortificata reviviscunt per poenitentiam, ut probavimus *d. 1. à num. 6.* & reviviscunt ad totam gratiam sibi antea debitam; siquidem reviviscunt ad totum præmium essentiale, ut diximus à *num. 40.* cujus rationem ingreditur gratia, & ejus augmentum; sed eorum præmium essentiale quoad gratiam, & ejus augmentum, talis conditionis est, ut statim absque ulla mora dari possit homini capaci; in hoc enim differt à præmio gloriæ, quod homo quandiu est in hac vita non sit in statu capaci hujus præmii; maxime autem cujuscumque gradus gratiæ, dummodò non sit impeditus per peccatum; ergo cum hoc auferatur per poenitentiam, statim homini sic poenitenti, & capaci restituitur gratia, & ejus augmentum sibi debitum ob merita præcedentia.

193. Argues 1. Quando homo justificatur recipit gratiam proportionatam suæ dispositioni, ut docet *Trid. sess. 6. cap. 7.* ergo si contritio sit remissa, solum infundetur gratia remissa, non obstantibus meritis præcedentibus; alioqui posset homo habens contritionem remissam, & multa merita præcedentia magis justificari, quam homo habens contritionem intensiorem, & pauciora merita præcedentia; ergo homo per poenitentiam resurgens non statim recipit totam gratiam meritis præcedentibus respondentem.

194. Advertes, ut præcedenti, & sequenti argumento respondeamus, distinguendum esse in justificatione peccatoris id, quod est per se, ab eo, quod est per accidens respectu talis mutationis, qua homo ab statu peccati in statum gratiæ transfertur. Nam per se est, ut ipse homo cum divino auxilio se sufficenter disponat, & quod Deus peccatum remittat, & gratiam dispositioni proportionatam infundat: at verò per accidens est, quod præcesserint merita, quæ consequenter ad illam mutationem reviviscunt; siquidem tota hæc mutatio posset intervenire absque reviviscencia meritorum, si illa v. g. non præcessissent. Hoc posito.

195. Respondeo gratiam illam, quæ per se infunditur ex vi justificationis, semper esse proportionatam, & commensuratam contritioni, seu dispositioni peccatoris, & de hac locutum esse *Trid. cit.* cum hæc sit propria gratia justificationis, quæ per se fuerat consideranda in doctrina de justificatione; siquidem ea, quæ sunt per accidens, non cadunt sub scientiam. Attamen cum hac, quando merita reviviscunt, conjungitur alia gratia eis correspondens, quam opus non est commensurari ipsi contritioni, quia ab illa non est tanquam à causa per se, sed per accidens, & removens obicem peccati; hoc autem æquè facit contritio remissa, ac intensa. Et hinc patet, nullum esse inconveniens, quod aliquando homo, si plura habeat merita præcedentia, resurgat cum majori gratia, etiam si id fiat mediante contritione remissione, quam alius,

qui cum intensiori resurgit, habens tamen pauciora merita vivificanda.

Argues 2. Tota gratia, quæ in prima justificatione datur, gratis datur; alioqui non tota justificatio fieret gratis, & esset donum solius Dei; ergo tunc nulla datur gratia ex meritis; siquidem cum hæc non detur gratis, jam tota gratia in prima justificatione non daretur gratis; ergo merita mortificata non possunt in eo instanti habere statim effectum gratiæ. Respondeo antecedens esse verum de gratia justificationis, quæ ex vi illius per se datur; hæc enim tota gratis conceditur, ut probat argumentum: non autem de gratia, quæ supposita priori, & meritis præcedentibus, conceditur, hæc enim non gratis, sed ex meritis ut debita confertur, in quo nulla est repugnantia, neque tollit liberalem, & gratuitam justificationem; siquidem talis gratia non pertinet per se ad illam mutationem, neque reputatur prima, sed ut secunda adjecta primæ, saltem secundum ordinem naturæ.

Neque novum quid est, quod in eodem instanti infundantur diversi gradus gratiæ ex diversis titulis. Patet primò, nam qui sicte Baptismum suscipit, & in eo peccavit, si postea conteritur, aut confitetur, recedente fictione, duplicem gratiam recipit, alteram ex opere operato, ratione Baptismatis; & alteram ex opere operantis, ratione poenitentiae; ergo etiam sic poterit quis, sublato peccato, duplicem gratiam recipere, alteram ratione præsentis dispositionis; & alteram ex meritis præcedentibus. Secundò, quia iustus, qui Eucharistiam, vel aliud Sacramentum suscipit, de condigno meretur aliquem gradum gratiæ per illum actum ex opere operantis; & tamen simul ei datur alia gratia ex opere operato, quæ ei gratis datur respectu ipsius, licet ex iustitia detur respectu Christi; ergo etiam sic poterit ei dari in eodem instanti duplex gratia, altera gratis ratione præsentis dispositionis; & altera ex iustitia ob merita præcedentia.

Argues 3. Si homo per poenitentiam resurgens statim reciperet gratiam meritis præcedentibus correspondentem, cum Deus jam semel hujusmodi merita remuneraverit, cum primò homo ea elicit, sequeretur, teneri Deum eadem merita eodem genere præmii, & æquali in suo ordine remunerare; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud ex quo sequitur. Respondeo negando sequentiam; neque enim illa censetur, moraliter loquendo, duplex remuneratio ejusdem meriti; sed est moralis quædam continuatio ejusdem præmii, quod ex vi meriti à Deo acceptati perpetuitatem includit, quamdiu per hominem non steterit, prout supra diximus *num. 97.*

Instabis; Dux illæ gratiæ, nempe amissa, & restituta, sunt saltem numero distinctæ; ergo, cum ibi sit duplex gratia, Deus duplici præmio eadem merita remuneraret. Respondeo, licet secundum rationem philosophicam in genere entis, & physice ibi detur duplex gratia numero distincta: tamen in genere præmii, & secundum moralem æstimationem, tanquam una reputatur.

Advertes, plura alia argumenta desumi ex controversia de augmento gratiæ, & charitatis per actus æquè intensos, & etiam remissos: Nam si gratia respondens meritis vivificatis statim datur, licet homo per contritionem æquè intensam, imò & remissam, resurgat; bene sequitur, etiam gratiam, quam quis meretur per actus æquè intensos, imò & remissos, statim dari, quod Adversarii negant. Cum tamen nos id ipsum, quod hic dicimus de restitutione gratiæ statim faciendâ, dicamus

etiam de gratia, & ejus augmento statim faciendo, ut videre est supra tract. 2. d. 3. à n. 12. & à n. 123. quidquid ibi Adversarij adducunt contra nos, & hinc adducere poterant, videri poterunt locis citatis, & etiam supra à n. 83. sit igitur.

201. Difficultas 2. Utrum prius naturâ infundatur gratia antiqua, quàm nova: vel è contra: an utraque simul? Dico 1. Prius naturâ infunditur nova, quàm antiqua gratia. Ita P. Arriaga tomo 8. d. 16. sect. 8. num. 57. P. Soar. Lust. tract. 1. de Pœnit. d. 4. num. 427. & alii. Probatur, quia ex modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum reviviscentia gratiæ antiquæ dependet ex remissione peccati; ergo hæc remissio peccati est prius naturâ, quàm antiqua gratia; sed remissio peccati de facto est posterior ad gratiam; siquidem fit ad exigentiam gratiæ datæ subjecto; ergo de primo ad ultimum reparatio gratiæ antiquæ est posterior naturâ productioni novæ gratiæ.

202. Dices: In Sacramentis fictè susceptis, quando reviviscunt quoad suum effectum, non causatur prius gratia à novo Sacramento, quo tollitur obex, quàm ab antiquo, sed ab utroque simul, solum præcedente prius naturâ dispositione requisitâ ex parte hominis; ergo idem dicendum erit in præsentî de novâ, & antiquâ gratiâ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Sacramentum novum in illo casu non præsupponit gratiam, ut possit illam causare: at verò reviviscentia meritòrum supponit peccatum remissum; siquidem fit dependenter ab hac remissione: cum igitur hæc remissio supponat necessariò gratiam; à fortiori eam supponit antiquæ gratiæ reparatio.

203. Dico 2. Satis probabile est, utramque gratiam infundi simul naturâ. Ita P. Arriaga cit. Probatur, quia nulla datur ratio oppositum convincens; siquidem quam supra adduximus, non convincit, ut ex dicendis constat; ergo &c.

204. Dices: Reviviscentia gratiæ antiquæ, ut diximus, dependet à remissione peccati; sed hæc præsupponit gratiam novam, ad cujus exigentiam fit, ut etiam diximus; ergo à fortiori illam præsupponit antiqua gratia. Resp. cum eodem P. Arriaga cit. Deum, ut velit antiquam gratiam restituere, non expectare actualem remissionem peccati, sed prævisâ jam sufficienti causâ ejus remissionis, unico actu simul velle, & novam infundere, & antiquam restituere. Et in hanc solutionem magis inclinât P. Arriaga cit. addens, cum res sit dubia; siquidem Deus potuit utroque modo id facere, quem autem de facto elegerit? Non potest, nisi divinando affirmari.

205. Difficultas 3. Quomodo componantur in eodem subjecto antiqui & novi gradus gratiæ? Respondeo primò, juxta nostram sententiam docentem hujusmodi gradus esse omogeneos, ut constat ex dictis in Met. tract. 4. d. 1. à num. 92. nullam esse difficultatem; siquidem antiqui possunt esse secundi, licet olim fuerint primi, & è contra: imò propriè dum sunt in subjecto, nulla esset diversitas primi, & secundi; cum omnes immediatè inter se, & cum anima uniantur; illa autem est pura denominatio ab eo, quod prius, aut posterius fuerint infusi. Additur, non redire eisdem numero antiquos, sed alios similes.

206. Respondeo secundò, in contraria sententia docente, eos esse etherogenos, esse difficultatem non parvam, & quidem communem non solum reviviscentiæ meritòrum, sed etiam meritis non mortificatis: nempe quo pacto actus remissus ex se non mereans, nisi primum gradum gratiæ, possit obtinere

vigesimalum, qui est multò perfectior eo primo gradu. De hac tamen difficultate egimus jam supra tract. 2. d. 3. Igitur quoad præsentem.

Advertes in hac sententia de etherogenitate graduum, si gratia, quam meretur homo de novo (juxta id, quod diximus num. 201.) prius infundatur, quàm vigesimalum gradus antiquus, debere Deum pro illo signo naturæ miraculosè cum vigesimalum gradum producere; siquidem non potest naturaliter existere, nisi præexistant alii antecedentes ipsum gradum vigesimalum, utpotè quos ex naturâ suâ præsupponit.

DISPUTATIO III.

Quibus operibus competat hujusmodi reviviscentia.

SECTIO I.

Utrum opera mortua per penitentiam reviviscant?



Suppono primò ex supra dictis d. 1. n. 2. opera mortua dici, & esse omnia illa, quæ sunt ab homine spiritualiter mortua, sive ex stete in peccato; cum enim gratia sit vita spiritualis animæ, & hæc per quodlibet peccatû mortale amittatur, qui illud committit, vitam animæ amittit, diciturque homo spiritualiter mortuus, & omnia ejus opera in eo statu facta dicuntur mortua. Suppono secundò, opera, de quibus in præsentî potest quæstio excitari, posse esse aut actus bonos internos elicitos ab homine existente in peccato, quibus, si esset in gratia, acquireret novum augmentum gratiæ, & gloriæ: aut opera satisfactoria, sive pœnalia, quibus homo, sive spontè, sive de præcepto Confessoris intendit satisfacere pro pœnâ temporali debitâ peccatis jam ritè confessis, & semel dimissis quoad pœnam æternam. His suppositis.

Conclusio 1. sit: Actus boni interni, nempe fidei, spei, & alii similes facti ab homine peccatore existente in statu peccati, non viviscantur per subsequentem penitentiam. Est communis. Probatur ex proximè dictis, quia sola opera illa viviscantur, quæ aliquando fuerunt viva, & acceptata à Deo in meritum vitæ æternæ; sed prædicti actus nunquam habuerunt vitam, cum fuerint opera hominis mortui per peccatum, & nunquam fuerunt à Deo acceptati ad vitam æternam, cum fuerint opera hominis inimici, & odio digni; ergo non habent, ex quo dicantur vivificari.

Dices: Peccator mediis actibus fidei, & spei meretur, saltem de congruo, aliqua auxilia divini, & augmentum habituum; ergo saltem quoad hunc effectum poterunt vivificari. Respondeo negando consequentiam: & ratio est, quia meritum de congruo non est absolutè meritum; ergo non est, cur necessariò restituatur id, quod per illud con-